

SC-A.2-24

~~L-5-111511~~

70.000

~~A222~~

CAR-096




SC-A.2-24

~~L-S-111511~~



ANTIQUITATES SACRAE
VETERVM HEBRAEORVM

Delineatae
ab
HADRIANO RELIANDO.




Ultrajecti apud GUILIELMUM BROEDELET.

J. Goeree In. et fec.



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO




UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

ANTIQUITATES
SACRAE
VETERUM
HEBRAEORUM
DELINEATAE

A B

HADRIANO RELANDO.



TRAJECTI AVONUM,

Ex Officina **GULIELMI BOUDELET,**
Bibliopolae MDCCLIII



R. 9454

INSTITUTIONAL


1913

OFFICE OF THE

SECRETARY OF THE

WAR DEPARTMENT

WASHINGTON, D.C.



ARGUMENTA CAPITUM
PARTIS PRIMAE,
DE LOCIS SACRIS.



Ap. I. <i>De terra sancta. p. I</i>	
II. <i>De urbe Hierosoly- ma.</i>	8
III. <i>De Tabernaculo ejus- que situ.</i>	16
IV. <i>De atrio Tabernaculi.</i>	24
V. <i>De Sancto & Sancto Sancto- rum.</i>	30
VI. <i>De Templo primo, ejusque atriis.</i>	54
VII. <i>De Aede sacra Templi pri- mi.</i>	65
VIII. <i>De Templo secundo, ejusque spatiis exterioribus.</i>	75
IX. <i>De spatiis Templi II. interio- ribus, sive Atrio magno, & quae illo continentur.</i>	94
X. <i>De Synagogis.</i>	123

* 3

AR-



ARGUMENTA CAPITUM
PARTIS SECUNDAE,
DE PERSONIS SACRIS.

C Ap. I. <i>De Pontifice Maximo.</i>	137
II. <i>De successione Pontificum.</i>	155
III. <i>De variis Pontificum & Sa- cerdotum ordinibus.</i>	167
IV. <i>De Sacerdotibus.</i>	176
V. <i>De munere Sacerdotum.</i>	190
VI. <i>De Levitis.</i>	223
VII. <i>De Synedriis.</i>	231
VIII. <i>De Regibus.</i>	247
IX. <i>De Prophetis, & sectis post Prophetas exortis.</i>	255
X. <i>De Naziraeis.</i>	273

AR.

ARGUMENTA CAPITUM

PARTIS TERTIAE,

DE REBUS SACRIS.

C Ap. I. <i>De Sacrificiis generatim, & ritibus ad Sacrificia spectantibus.</i>	278
II. <i>De Holocaustis.</i>	313
III. <i>De Sacrificiis piacularibus.</i>	320
IV. <i>De Sacrificiis pro delicto.</i>	331
V. <i>De Sacrificiis salutaribus.</i>	338
VI. <i>De Primogenitis animan- tium, Decimis eorundem, & agno Paschali.</i>	342
VII. <i>De Fertis & Libaminibus.</i>	358
VIII. <i>De Primitivis & Primitiis,</i>	369
IX. <i>De Decimis.</i>	378
X. <i>De Votis.</i>	384

AR-

ARGUMENTA CAPITUM
PARTIS QUARTAE,
DE TEMPORIBUS SACRIS.

C Ap. I. De annis, mensibus, diebus, & horis.	391
II. De diebus Festis.	413
III. De Paschate & Festo Azy- morum.	421
IV. De Festo Pentecostes.	483
V. De Festo Tabernaculorum.	444
VI. De die Expiationis.	457
VII. De Festo novi anni, & No- vilaniis.	471
VIII. De Sabbatho, annis Sabba- thicis, & Jubilaeis.	475
IX. De Festo Purim, Encaenio- rum, &c.	497
X. De Jejuniis.	501

PARS

P A R S P R I M A

D E

L O C I S S A C R I S.

C A P. I.

De Terra Sancta.

I. **R**Egio duodecim tribubus I- §. I. No-
 fraëliticis a Mose & Josua adsi- ^{mina.}
 gnata appellatur terra Sancta:
 cujus Sanctitatis decem gradus

Judaei distinguunt in *Celim*, *cap. 1. misn. 6.*
 quorum respectu alia ejusdem terrae loca
 aliis sanctiora censentur. Dicitur etiam
Terra Dei, *Hof. 9. 3.* & Terra יְרֵמֶה נֶאֱמַר
Ἰεροχὴν *Ruth. 1. 1. Menachoth. VIII. 1.*
Kidduschin. 1. 9. Terra Israëlitica, *1 Sam.*
13. 9. Ezech. 7. 2. Syria Palaestina, Ju-
daea, Phoenice: quae nomina, pro diver-
 sa ratione temporum & auctorum qui iis
 utuntur, aliquando latius aliquando mi-
 nus late patent. Sunt etiam qui hanc ter-
ram Canaan nuncupent, quum tamen re-
 gio trans Jordanem sita & inhabitata a

A

tri-

tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manasse pars terrae Canaan non fuerit, & a terra Canaan distinguatur *Jos.* 22. 9. sic ut illa pars tantum terrae Israëliticae, quae cis Jordanem fuit, terra Canaan appellanda sit. Idem de nomine terrae promissae *Heb.* 11. 9. dicendum est, quod neutiquam convenit toti illi regioni quam 12 tribus occuparunt, sed ei tantum quae cis Jordanem fuit. *Num.* 32. 11.

§. II. Termini.

II. Fines ejus fuerunt ad austrum נהל נצרם *fluvius Aegypti*, quo nomine non Nilus, sed fluvius ad quem urbs Rhinocolura sita fuit, intelligendus est, & desertum זין Tzin, litus australe lacus Asphaltitis & in parte trans Jordanica Arnon. *Jos.* 15. 4. 47. & *Num.* 13. 22. ad boream regio Sidoniorum, montana anti-Libani, & civitas Dan circa ortum Jordanis, a quo oppido usque ad Berschebam 160 milliarius Romanorum spatium esse scribit Hieronymus. Ad occidentem erat mare magnum, ad orientem Arabia. Fuerunt tamen in hac regione urbes plurimae, quae sorte quidem tributae Israëlitis nunquam tamen ab iis occupatae fuerunt: & stante Templo utroque diversis temporibus magna pars hujus terrae Gentibus cessit.

III. O-

III. Olim quidem divisa fuit haec terra in Regnum Sichonis & Ogi quod trans Jordanem erat, & regiones gentium Cananaearum, quae septem recensentur *Act.* 13. 19. *Deut.* 7. 1. Chittaei, Girgasaei, Emoraei, Cananaei, Perizzaei, Chivvaei & Jebusaei. Decem vero *Gen.* 15. 19. Deinde in portiones duodecim tribuum divisa est, sic ut trans Jordanem esset regio Rubenis, Gad & dimidiae Manasse, cis vero reliquarum novem & dimidiae, quarum termini *Jos.* 15. & *seqq.* describuntur. Tum in regnum Judae, quod duastribus continebat Judam & Benjaminem, & Israëlis quod complectebatur decem, *1 Reg.* 11. 39. & *2 Chron.* 15. 9. distingui coepit: quae distinctio abductis per Salmanassarem Israëlitis cessavit. *2 Chron.* 34. 6.

§. III. Partitiones veteres.

IV. Stante Templo secundo divisa est in (1) Judaeam quae complectitur regionem tribuum Judae, Benjaminis, Simeonis & Danis ex parte, (2) Samariam, id est, terram Ephraim & dimidiam Manassis, (3) Galilaeam, id est, regionem Issascar, Zabulon, Aser & Nephtali: quae in superiorem & inferiorem dividebatur, (4) Peraeam trans Jordanem extensam a

§. IV. Et novae.

Machaerunte Pellam usque, (5) Gaulonitin, Batanacam, Trachonitin, quibus Auranitis & Ituraea solet adjungi. Denique in toparchias undecim fuit divisa, & in tetrarchias. Vide Act. ix. 31. Matth. 4. 25. Joseph. Antiq. xiv. 23. & III. de bell. Jud. c. 4. Plinium l. v. 14.

§. V. Samaria an pars terrae Israëliticae.

V. Postquam Samaritani aliis sacris addicti in terra Israëlitarum sedes fixerunt, terra quidem eorum & domus & viae & receptacula aquarum pro mundis habita fuerunt a Judaeis. Mickvaoth. viii. 1. & terra ipsa ob antiquam possessionem & promissionem Abrahamo factam terrae Canaan accensebatur. Verum incolae ipsi inuisi maxime erant Judaeis, & neglecta regione Samaritanorum Judaei terram suam in tres partes diviserunt, יהודה ועבר Judaeam, Peraeam, & Galilaeam. Scheviith. ix. 2. Bava Bathra. 111. 2. Cetuzoth. xiii. 10. Atque unaquaeque harum regionum divisa iterum fuit in שפלה ההר ועמק montanam, campestrem, & vallem.

§. VI. Syria num pars terrae Israëliticae.

VI. Syria, סוריא, quo nomine Judaei comprehendunt terras Mesopotamiae oppositas ad occidentem Euphratis, Syriam Zoba, & Achlab a Davide terrae Israëliticae adjectas, in quibusdam rebus paris esse

מכאן מוכח שיהודה
והעבר והגליל
היו חלקי ארץ ישראל
שנחלקה דוד ושלמה
לשלושה חלקים

esse conditionis censetur cum terra Israë-
lis, in quibusdam diversae. Ideo totum
terrarum orbem Judaei in tres partes di-
vidunt, in (1) ארץ ישראל *terram Israë-*
lis, id est, המהלקת בשבטים quae di-
tributa est inter 12 tribus (2) סוריא *Sy-*
riam & (3) חוצה לארץ *regiones ex-*
tra terram Israëlis: sic ut Syria nec terra
Israëlis fuerit, a qua distinguitur *Scheviith*.
vi. 2. *Bava Kama*. vii. 7. nec tamen regio-
nibus extra eam sitis accensenda, a qui-
bus distinguitur *Scheviith*. vi. 6. *Orla*. II.
9. *Gem. Hieros. Challa*. 58. 3.

VII. In tribus autem Syria similis erat §. VII. Sy-
terrae Israëliticae. 1. Qui agrum emerat riae jura
in Syria habebatur ac in suburbiis Hiero- qua in re si-
solymitanis emisset. 2. Agri ejus ad de- milia ter-
cimas & jura anni Sabbathici obligaban- rae Israëli-
tur. 3. Pura habebatur, si quis ex terra ticae.
Israëlitica eam intrare posset, non tacta
terra Gentium. In reliquis similis erat,
regionibus extra terram: qualia tria a Ju-
daeis notantur. 1. Regio erat immunda
si quis eam intrare non posset nisi per in-
termediam terram gentium. 2. Libellus
divortii e Syria allatus habebatur ac si e re-
gionibus extra terram allatus fuisset. 3.
Qui servum vendiderat in Syria censebatur

ac si in regionibus extra terram vendidisset.

§. VIII.
Regiones
extra ter-
ram quae.

VIII. Quicquid terrarum erat praeter Israëliticam & Syriam, nuncupatur a Judaeis חוּצָה לְאֶרֶץ *extra terram*, & אֶרֶץ הַגֵּוֹיִם *terra Gentium*, *Oboloth. II. 3. Nazir. VII. 3. Gem. Hier. Schabbath. 3. 3. Gem. Hier. Fevamoth. 8. 1. Gem. Hier. Schevüth. 36. 2.* unde gentes vicissim dictae עַמֵּי הָאָרְצוֹת *Ezr. 9. 1. Gem. Cetuvoth. III. 2.* qui diversi sunt omnino a עַמֵּי הָאֶרֶץ sive *illiteratis*, qui opponuntur רֹבֵי הַכְּרִים sive *litteratis*. *Gem. Hieros. Schabbath. 3. 1. Tahoroth. VIII. 5. Gem. Pesachim. 49. 1.* Erant tamen regiones quatuor, terrae Israëlis vicinae, Aegyptus, Babylonia, Ammon & Moab quodam respectu distinctae a reliquis regionibus extra terram, quippe quae primitias & decimas quoque frugum dabant.

§. IX. Pri-
vilegia ter-
rae Israëli-
ticae in Sa-
cris.

IX. Non nisi ex terra Israëlitica manipulus Paschalis & panes Pentecostales adduci debuerunt, quum aliae oblationes si-
ve privatae sive publicae etiam ex regio-
nibus extra hanc terram peti possent. *Menachoth. VIII. 1.* secundum verba Dei *Exod. 12. 25. & Levit. 23. 17.* Primitiva etiam ex hac terra sola petebantur, uti videtur dici in *Celim. I. 6.* sed Syria hac parte cen-
se-

setur uti terra Israëlitica, & ex ea quoque primitiva deferebantur Hierosolymas.

X. Flumina & torrentes, quibus haec terra rigabatur, maxime celebres sunt Jordanes, cujus vera origo est in lacu Phiala, non circa Pancadem, Kilchon, Cana, Cedron, Befor, Crith, Schorec, Jaboc & Arnon. Lacus erant, Asphaltites, qui non aliunde quam ab insigni salfedine aquarum maris falsi nomen obtinuit, longus stadia 580, latus 150: Lacus Tiberiadis sive mare Galilaeae longum stadia 100, latum 40. & Lacus Samocho- nites, longus stadia 60, latus 30. *Joseph. de Bell. Jud. v. 5. & iii. 18. Joseph. iv. de Bell. i.*

§. X. Fluvii & Lacus terrae Israëliticae.

XI. Inter montes celebrantur Libanus, aliis Antilibanus, Carmel, Chermon, Thabor, Gilboa, Garizim & Ebal, praeter montes Hierosolymitanos. Valles sunt, vallis Cedron, Josaphat, filiorum Hennom, Rephaim, Ajalon, Achor, Schittim, Botri, Regis. Inter campos eminuit μέγα Πεδιον ad utramque ripam Jordanis, campus Megiddo sive Esdraël, & μέγα Πεδιον Λεγεώνος.

§. XI. Montes, Valles & Campi.

De Urbe Hierosolyma.

§. I. No-
mina.

INter urbes terrae Sanctae eminent urbs Hierosolyma, quae & ipsa Sancta dicitur κατ' ἐξοχήν *Matth. 27. 53. Gem. Sota. 47. 1.* & urbs, *Gem. Cetuvoth. 111. 1.* Vetus ejus nomen Jebus fuit *Jud. 19. 11.* deinde *Jeruschalaim & Jeruschelem*, (quod nomen a Salomone videtur accepisse voce composita ex *ירושלם* & *שלם*, quasi possessionem dicas perennem pacis, unde Graecum *Ἱερουσαλήμ* & *Ἱεροσόλυμα* natum est, & *Salem Psal. 76. 3.* Romanis dicta est *Aelia Capitolina*, a Mohammedanis *بيت المقدس* quod nomen hodiernum est.

§. II. Ra-
tiones pro
situ urbis in
Benjamin.

II. Rationes, quae tribui Benjamin hanc urbem vendicant, hae sunt. 1. Quod *Jos. 18. 27.* inter urbes Benjaminitarum recenseatur. 2. Quod *Jos. 15. 8.* terminus dividens terras Judae & Benjamin ducatur per vallem filiorum Hennoim ad latus Jebus ad meridiem quae est *Jerusalem*; sic ut Jebus fuerit ad septentrionem hujus termini. 3. Quod *Judic. i. 21.* Benjaminitae dicantur non potuisse expellere Je-
bu-

busaeos. 4. Quod Moses Deuter. 33. 12. praecinat fore ut Deus inter humeros Benjaminis requiescat.

I II. Ab altera parte rationes quae tribui Juda Hierosolymam vindicant haec sunt. 1. Jos. 15. 63. leguntur filii Judae non potuisse expellere Jebusaeos. 2. Pf. 78. 68. dicitur elegisse tribum Juda montem Sion quem dilexit: 3. Filii Juda, narrantur Jud. 1. 8. cepisse Hierosolymas. 4. Fer. 37. 2. Jeremias legitur Hierosolymis egressus esse in terram Benjamin.

§. III. Rationes pro situ in Juda.

I V. Ad conciliandam utramque sententiam notandum est. (1) Hierosolymam in confiniis utriusque tribus sitam fuisse. Jos. 15. 8. (2) non semper urbes esse expugnatas ab iis ad quos pertinebant, uti Bethel urbs Benjamin expugnata fuit a domo Josephi Jud. 1. 22. (3) urbes non semper pertinuisse ad illam in cujus portione sitae erant. Vide Jos. 19. 11. (4) variā fuisse magnitudinem Hierosolymae pro varia ratione temporum, sic ut olim, Jud. 1. 8. in tribu Juda, postea autem in tribu Benjamin sita esse potuerit, vel tota vel magna ex parte: adeo ut terminus Judam & Benjaminem dividens per atrium Templi transire potuerit, quod Judaei tradunt

§. IV. Modus haec conciliandi.

in *Gem. Zevachim* fol. 54. 1. & ii8. 2. *Gem. Megilla* fol. 26. i.

§. V. Montis Zion situs ad austrum urbis.

V. Sita fuit urbs in regione montana, insidens quum maxime esset extensa duobus praecipue montibus, Zioni & Acrae. Zionem ad austrum, Acram ad boream esse locandum apparet ex descriptione murorum quae apud Josephum lib. vi. de bell. Jud. c. 6. extat, & mox dabitur §. x. Porro ex historia obsidionis ultimae apud Josephum l. vi. de Bell. c. 8. ubi Romani a septentrione urbem invadentes & per rupto muro primo atque altero, redactaque in potestatem suam urbis regione septentrionali, necdum tamen Zione potiti fuisse dicuntur.

§. VI. Rationes pro situ Zionis ad boream examinae.

VI. Contra stare videntur (1) verba Ps. 48. 3. ubi montem Zion ad latera aquilonis collocari volunt: sed legitur tantum in Hebraeo, mons Zion, latera aquilonis, צפון ירכתי צפון ita ut hae duae partes praecipuae urbis recenseantur; vel si concedamus reddendum esse ad latera aquilonis, nihil aliud eo notabitur quam Zionis latus aquilonare, quod Acrae erat obversum, pulcherrimum esse adspectu, quod Josephus lib. vi. de Bell. Jud. c. 6. confirmat. (2) Testimonium Josephi scribentis,

bentis, turrese Psephinam, Hippicum, &c. fuisse ab aquilone, & illis turribus adjunctam fuisse regiam, sitam in Zione. Sed haec ita non leguntur in Josepho. Hippicum ille non locat ad septentrionem urbis sed Zionis. Regiam non jungit turri Psephinae, sed Hippico. (3) Verba Ezech. 40. 2. ubi Propheta super montem excellum, Moriam sc., collocatus vidit urbem ad austrum. At hinc non efficitur Zionem fuisse ad boream: imo Zion ipsa illa urbs fuit, urbs Davidis dicta, quam vidit ad austrum.

VII. Pars Zionis dici potest mons §. VII.
Moria, cui ponte & xylto junctum fuisse Mons Mo-
constat, & murus ipse Zionis usque ad ria.
porticum Templi occidentalem protende-
batur. Quare etiam Templum in monte
Zion structum fuisse, & Deus in Zion
habitasse legitur. Turris Antonia huic
monti adjacebat ad angulum qui occasum
& septentrionem spectabat, illiusque ar-
cis & totius montis Moriae ambitus erat
6 stadiorum, quum urbs universa ambi-
tum haberet stadiorum 33.

VIII. Acra nomen videtur accepisse §. VIII.
ab ἀκρᾶ sive arce Antiochi illic condita, Mons A-
quam Simon Chasmonaeus solo aequavit. cra.

In sita

Inſita illi monti erat urbs inferior, uti ſuperior Zioni, a qua valle intermedia diſjungebatur. Eminebat olim prae Moria, ſed ad Templi decus & columen Chaiſmonaei eum depreſſiorem reddiderunt.

§. IX. Mons
Bezetha.

IX. Collis Bezetha, ſitus ad Septentrionem Templi e regione turris Antoniae (quae ad boream Templi erat) ſero Urbi fuit adjectus & munitus. Accenſetur denique collibus Urbis Hieroſolymitanae Ophel, *Neh.* 3. 27. ad auſtrum Templi, & orientem Sionis, quamvis Joſephus hunc locum $\chi\acute{\omega}\rho\omicron\nu$, non $\lambda\acute{o}\phi\omicron\nu$, aut $\acute{o}\rho\omicron\varsigma$ nuncupet, & ipſe 4 modo $\lambda\acute{o}\phi\omicron\varsigma$ ſive colles urbis memoret, Sionem, Acram, Moriam & Bezetham.

§. X. Muri
tres.

X. Cingebatur haec Urbs muro triplici. Primus iſque antiquiſſimus montem Zionem complexus, a turri Hippico (ad occidentem urbis) protendebatur ad Xyſtum & porro, donec deſineret ad porticum Templi occidentalem: ab altera parte ad occidentem Hippici in auſtrum flexus orientem petebat circa fontem Siloam, & conjungebatur porticui Templi orientali. Murus alter Acram cingebat ad ſeptentrionem, & a porta $\gamma\epsilon\nu\nu\alpha\theta$, uſque ad turrim Antoniam protendebatur. Ter-
tius

tius ab Hippico initium sumens versus tur-
rim Psephinam in latere septentrionali ad
occasum, & inde regionem ad boream
Templi comprehendens circa vallem Ce-
dron (quae montem olivarum ab urbe se-
jungebat ad ortum) muro primo conjun-
gebatur.

XI. Portae urbis hae recensentur a §. XI. Por-
Nehemia, cap. 3. ubi ambitum urbis de- ^{tae.}
scribit

- | | |
|-------------------------|--------------------------|
| 1. <u>Gregis.</u> | 7. <u>Domus Eljasib.</u> |
| 2. <u>Piscium.</u> | 8. <u>Aquarum.</u> |
| 3. <u>Vetus.</u> | 9. <u>Equorum.</u> |
| 4. <u>Vallis.</u> | 10. <u>Orientalis.</u> |
| 5. <u>Sterquilinii.</u> | 11. <u>Judicii.</u> |
| 6. <u>Fontis.</u> | |

At plurimum tum in Sacro codice tum
in scriptis profanis fit mentio, quae ta-
men an ab ante recensitis distinctae fue-
rint, non adeo certum est, quum bino-
mines esse potuerint; & eidem portae
ויד 2 Reg. 11. 6. nomina septem in sa-
cris literis tribui tradatur in *Gem. Hie-*
ros. Erwin. fol. 22. col. 3. uti nec an om-
nes portae exteriores urbis fuerint; nec
quis situs his attribui debeat aut usus,
quo-

quoniam apud Judaeos usus portarum non modo erat ad introitum & exitum sed & defensionem urbium, ac publicos conventus Seniorum, 2 Chron. 26. 5. Ruth. 4. 2. Deut. 21. 19.

§. XII. Loca extramuralia.

XII. Extra has loca quaedam celebria urbi proxima fuere, uti Mons olivarum ad ortum, in tria culmina surgens, combustione vaccae rufae & Sospitatoris nostri adscensu in coelum nobilitatus, uti & loca vicina, inter quae est Betphage, vicus in latere orientali montis oliveti, & plane diversus a בית פני Talmudicis memorato, qui tantum non ipsis moenibus urbis includitur, sic ut extra moenia Hierosolymae idem sit ac extra murum Bethphage. חוץ לחומת בית פאני Gem. Menachot. 78. 2. Bethania, qui locus idem est forsitan cum חנות בני חנון Gem. Hieros. Pea. 16. 3. vel חנויות בית היני Gem. Bava metzia. 83. 1. Gethlemane: Mons Golgotha ad occasum; vallis Cedron, a torrente ejusdem nominis dicta, vallis filiorum Hinnom, & fons Silöe ad radicem Sionis versus austrum.

§. XIII. Privilegia Urbis.

XIII. In Gem. Bava kama. 82. 2. Hierosolymae privilegia prae aliis urbibus terrae Sanctae haec recensentur. Non pernoctare.

noctare illic cadaver, nec ossa mortui eo inferri: non locari aedes: non concedi illic habitationem prolelyto inquilino: non esse illic monumenta sepulcralia, exceptis iis gentis Davidicae & Chuldae: non esse in ea hortos: non feri nec arari, nec plantari arbores (quid? quod arbores frugiferas ad 25 cubitos ab urbe removendas, infrugiferas ad 50 legatur in *Bava bathra*. 11. 7.) nulla esse illic sterquilinia, Meniana aedium, fornaces calcarias, non alii gallos gallinaceos, domos ibi non vendi secundum legem mancipii Lev. 25. 30. sed semper redimi posse, domos lepra non infici, urbem exemptam esse ex earum numero quae impulsu aliorum ad cultum falsi Numinis seduci possent & lata sententia excindi, vitulam decollandam ab ea non offerri, nec eam tribui alicui speciatim esse attributam.

XIV. At praecipuum Urbi Hierosoly- §. XIV.
mitanae decus conciliabat Templum in Templum
colle Moria exstructum, de quo accuratius
agendum est, ubi prius Tabernaculum, in
cujus locum Templum successit, cum
Vasis Sacris lustraverimus, ut convenien-
tia & distinctio quae inter utrumque in-
tercedit clarius intelligatur.

CAP.

C A P. III.

De Tabernaculo ejusque situ.

§. I. Tabernaculi nomina.

I. **T**abernaculum, sive aedes sacra, exstructa ab Israëlitis in deserto oberrantibus, appellatur in Codice Hebraeo אהל מועד (quod nomen & antea tabernaculo Mosis, extra castra erecto, datum fuit, *Exod. 33. 7.*) מקדש, אהל העדה, היכל, משכן, Graece σκηνή τῆς μαρτυρίας, ναὸς μεταφερόμενος, &c.

§. II. Situs in castris.

II. Tabernaculum hoc erectum fuit in medio exercitus Israëlitici: ita tamen ut ab oriente Moses & Aaron cum filiis suis, a meridie Kehathitae, ab occidente Gersonitae, a septentrione Meraritae, proxime illud cingerent, *Num. 3. 23.* &c. & longius remotae essent tribus; ad orientem, Juda, Isachar, Zabulon, ad meridiem, Ruben, Simeon, Gad; ad occidentem, Ephraim, Manasse, Benjamin; ad septentrionem, Dan, Aser, Naphtali, *Num. 2. 3.* &c. His autem quatuor vexillis (ד' דגלים) quoniam ita cingebatur, uti nucis intimum (הסירה) quatuor מגורות sive partibus circumjacentibus,

tibus, nuci comparari Israëlitas *Cantic.* 6. 8. notatur in *Midrasch schir hasschirim fol. 35. col. 1.* Atque ita tria se quasi produnt castra I. Dei, scil. Tabernaculum cum atrio. II. Levitarum. III. Populi Israëlitici. Quibuscum convenerunt, respectu sanctitatis, rerumque & personarum quae ad illa admittebantur discrimine, stante Templo tria haec spatia. I. Atrium magnum, quod complectebatur atrium Israëlitarum & Sacerdotum. II. Atrium mulierum, spatium antemurale & mons Templi. III. Urbs Hierosolyma. *Gem. Zevachim. 116. 2.* Quam traditionem confirmat scriptor *Ep. ad Hebr. 13. 11. 12.* qui extra castra populi idem censet ac extra Hierosolymam.

III. Migrante exercitu ipsum quoque migrabat cum iis Tabernaculum in deserto, ita ut medium in exercitu locum obtineret. *Num. 10. 21.* licet arca foederis exercitum anteiret. *Num. 10. 33.* quod ubi emensi essent Israëlitae & transiissent Jordanem, in Gilgal primo substitit, de- in Schiluntem (quod Josua Ephraimita, & locus in medio regionis, nec inamoenus esset) fuit translatum. *Jos. 18. 1.* ubi diutissime permansit, & parietibus lapideis

§. III.
Translatio
ad loca di-
versa.

B

deis

deis (quare אֲרֹן appellatur 1 *Sam.* 1. 24.)
 & aedificiis nonnullis extrinsecus ad varios
usus circumdatum videtur fuisse, 1 *Sam.*
 3. 3.) donec Nobam delatum, & inde
Gibeonem, tandemque Hierosolymam,
 in Templo Salomonico repositum fuit,
 2 *Chron.* 1: 3. 4.

§. IV. Si-
 gnum tran-
 slationis.

IV. Signum translationis Tabernaculi
 Deus dabat per columnam, quae noctu
 ignis, interdiu nubis speciem gerebat,
 & multa habebat singularia Divinae po-
 tentiae & providentiae argumenta: uti
 quod Aegyptiis persequentibus tenebras
 fecerit dum luceret Israelitis. *Exod.* 14. 20.
 quod ex illa Deus prospexerit, *Exod.* 14.
 24. quod totum exercitum superne col-
 lultravit *Neh.* 9. 19. *Exod.* 40. 38. *Jes.* 4. 4.
 Quare etiam populus Israeliticus, *Exod.* 33.
 10. Aegyptii *Num.* 14. 4. & scriptores sa-
 cri *Neh.* 9. 2. pro insigni Dei beneficio
 & re miranda eam habuerunt.

§. V. Loca
 arcae va-
 ria.

V. Arca autem foederis, praecipuum
 Tabernaculi ornamentum, pluries locum
 mutavit, quam ipsum Tabernaculum.
Quamvis enim certam in Sancto Sancto-
rum sedem haberet, quamdiu Hebraei in
 deserto oberrabant, quum tamen Jorda-
 nem transiissent, jussu Dei e Tabernacu-

lo

lo eruta circa Jerichuntem ferebatur: de-
in ad montes Garizim & Ebal delata fuit
 (*Jos. 8:33.*) tum in Tabernaculo Schilun-
 te diu reposita, post in aciem educta &
a Philistaeis capta sed remissa, in Bethse-
mes aliquandiu & Kiriathjearim substitit.
 Inde eam David Hierosolymam transfer-
 re tentavit, sed poena divinitus Uzae in-
 flicta territus in domo Levitae Obed E-
dom illam reliquit: at metu suo liberatus
maxima pompa eam intulit in aedem,
 quam ei paraverat in Zion. *2 Sam. 6: 17.*
 distinguendam a Tabernaculo quod erat
 Gibeone *2 Chron. 1: 3, 4.* Ubi permansit,
 nisi quod Zadoc eam ad breve tempus in-
 de extulerit, donec Templo Salomonico
 fuit illata. *2 Chron. 5: 5.*

VI. Diversas haec tum tabernaculi §. VI.
 tum arcae mansiones ita per annos 479, Chronolo-
 qui effluxerunt ab exitu *Israëliitarum* ex ^{gia man-}
 Aegypto vel ab exstructione Taberna- ^{sionum}
 culi usque ad conditum Templum pri- ^{Taberna-}
 mum, *1 Reg. 6: 1.* digerunt Hebraei in ^{cae.}
Gem. Zevachim 118. 2. & Gem. Hiero-
sol. Megilla. 72. 4. Confer *Midras Ruth,*
fol. 46. 1.

Tabernaculum fuit in deserto	
annos	32
In Gilgal, 7 annis quibus oc- cupata, & 7 quibus distribu- ta fuit terra	14
In Nob	13
In Gibeon	44
In Schilo fuit reliquis annis in- termediis	369
	<hr/>
Summa	479

Arca autem fuit in deserto, annos	39
In Gilgal	14
licet inde educta Jerichuntem & ad montem Ebal	
In Schilo	369
sed inde ad tempus educta Sichemum <i>Jos.</i> 24: 1. Bethalem <i>Jud.</i> 20: 27. Mizpam. <i>Jud.</i> 20. 1. & 7 mensibus ultimis in terras Philistaeorum 1 <i>Sam.</i> 6: 1.	
In Kiriathjearim & aede a Davide parata in Zione reliquos	57

 479

§. VII. Ar- VII. Sunt qui putent duas fuisse arcas,
ca fueritne unam quae in Tabernaculo fuerit, alte-
ram

ram quae praeiverit exercitum. R. Juda una aii
bar Elai illam in qua tabulae legis fractae duae.
erant praeivisse, alteram in qua integrae
 erant semper in Tabernaculo fuisse existi-
 mat. *Gem. Schekalim. fol. 9. 1. Gem. Hie.*
rosol. Sota. 22. 2. sed verior videtur sen-
 tentia unam fuisse, quod una tantum con-
 fici jubeatur *Exod. 25: 10. & 35. 12.* u-
 nam gestaverint Levitae. *Num. 7: 9, 10.*
 una in Tabernaculo reposita fuerit *Num.*
10: 33. Deut. 31: 26. una transiverit Jor-
 danem *Jos. 3: 3, 5.* & ea capta nulla su-
 perfuerit. *1 Sam. 4: 3.* Quod si arca Dei
 alio loco fuisse legatur, quam ubi ex
 Chronologia mox data liquet arcam Ta-
 bernaculi sedem suam habuisse, non pro-
 pterea altera arca fingenda est: sed ad tem-
 pus potuit e sede ordinaria fuisse educta.
 Quod facit ad illustranda verba *2 Sam. 11:*
11. & 2 Sam. 6: 12. quamvis alii per arcam
 cistam τῶ Ephod intelligant.

VIII. Sunt inter Christianos qui exi- §. VIII. U-
 stiment, eo tempore quo arca & Taber- sus Excol-
 naculum in terra Israëlitica ad diversa lo- forum quis
 ca migrarunt, licitum fuisse sacrificare in stante Ta-
 Excelsis, *Jud. 6: 26. 1 Reg. 3: 2.* quae bernaculo:
 tamen Templo exstructo prohibita fue-
 runt: alii vero putant nunquam Excelsa a

Deo permiffa fuiffe, quae illicita agno-
fcunt omnes Ifraëlitae *Jof. 22: 19. 32.*
quaeque Deus vetuit *Deut. 12: 2.* & u-
bi facra fieri juffit in loco quem elegit,
fc. Tabernaculo, licet idem elegerit ali-
quando hunc illumve fingularem locum;
quod legem generalem non destruit. Ita
enim ftante Templo Elias in monte Car-
melo sacrificavit. *1 Reg. 8: 9.* quum ta-
men non licuerit, nifi in altari Templi
Hierofolymitani facra facere. Sed jubente
aut probante Deo id fecit, & fecerunt o-
mnes quotquot bene fecerunt: quotquot
autem male, illorum exempla fas & jus
hoc fuiffe non testantur.

§. IX. Ju-
daeorum
de Excelsis
fententia.

IX. Judaei autem de usu Excelforum
ita ftatuunt in *Zevachim. 14. 14.* Confer
Germ. fol. 119. 1. & *Midrafch coheleth fol.*
102. col. 1. ea licita quidem fuiffe ante ex-
structum Tabernaculum, fed hoc exstru-
cto illicita, donec in Gilgal pervenerunt,
quando castra Tabernaculum cingere de-
fierunt (confer *Lev. 17: 3.*) deinde cum
in Schilo per annos 369 effet Taberna-
culum, & quies מנוחה Ifraëlitis con-
ceffa, excelsa iterum illicita fuiffe, *Deut.*
12: 9. Postea quum Tabernaculum in Nob
& Gibeon effet per 57 annos, licita fuiffe

(sic

(sic ut in Nob & Gibeon esset **במה** **ציבור**, excelsum populi totius, 2 *Chron.* i: 2. vel **במה גדולה** uti appellatur *Megilla*. i: 10. distinctum ab aliis privatis, **במות יהוד**,) donec Templum Hierosolymitanum (**הנהלה** l.c. & *Exod.* 15: 16.) usum Excelsorum abolevit. Confer *Gem. Megilla fol.* 10: 1. & *Gem. Hieros. Megilla* 72: 4. ubi quidam **נהלה** de Schilo & **מנוחה** de Templo interpretantur. Iidem tradunt Excelsa privata destituta fuisse. 1. Impositione manuum. *Levit.* 1: 3. 2. Maetatione ad Septentrionem, *Lev.* 1: 11. Sparsione circumquaque peragenda, *Lev.* 1: 5. 4. Agitatione, *Exod.* 39: 4, 24. 5. Adductione, *Levit.* 2: 8. 6. Fertis, *Levit.* 2: 26. 7. Officio Sacerdotali, *Levit.* 17: 6. 8. Vestibus, *Exod.* 29: 30. 9. Vasis, *Num.* 4: 12. 10. Odore Deo grato, *Levit.* 1: 9. 11. Distinctione inter sanguines superiores & inferiores, *Exod.* 27: 5. 12. Ac lotionem manuum & pedum: *Exod.* 28: 43. haec enim Tabernaculo aut Templo in sacro codice, locis citatis, adstringi.

De Atrio Tabernaculi.

§. I. Atrii I.
magnitudo.

Atrium, in quo aedes ipsa exstructa fuit, longum erat 100 cubitos, latum 50, circumdatum velo, affixo columnis aereis 5 cubitos altis: quam altitudinem nonnulli non a solo ipso sed a vertice altaris ducunt. Vide Gem. Erwin. 2.
2. Harum 20 destinatae fuere lateri meridionali, 20 lateri boreali, 10 occidentali & 10 orientali, quarum 4 portam constitutebant, & 3 hinc 3 inde fuerunt collocatae, quarum tamen alterutra quum in supputatione seriei columnarum vicinarum jam numerata fuerit, in univsum 59 columnae fuerint *Exod. 38: 9. coll. Exod. 27: 9.*

§. II. Distantia columnarum a se invicem.

II. De situ harum columnarum non convenit inter Philologos. Videntur omnes (exceptis 4 illis quae portam constitutebant, & ornatus commoditatisque gratia longius a se distabant) aequali spatio fuisse a se invicem disjunctae, sic ut spatio 5 cubitorum unius columnae axis ab axe alterius abfuerit: quod cum *συμμετρος* &

& proportione Architectonica melius convenit, quam fingere columnas ad occidentem longius a se distitas quam ad meridiem & septentrionem.

III. Atque ita quidem, ubi viginti columnae, latus meridionale compositurae, fuere exstructae, vigesima prima in eadem serie referenda est ad seriem sequentem cujus prima est; cui novem additae a latere atrii occidentali decem efficiunt. Undecima autem in eadem serie iterum ad latus sequens referri debet, cujus prima est; & illi novendecim additae faciunt 20 columnas lateris hujus. Sed vigesima prima ad latus orientale referatur oportet, quod decem columnas habebat (quarum tamen una angularis sive extrema in descriptione lateris meridionalis cujus partem facit jam recensita fuit, sed & huc aequae referri potest) tres hinc & tres inde, aequali intervallo cum reliquis totius atrii distantes. Quum vero spatium 20 cubitorum in hujus lateris medio destinatum portae fuerit & velo distinctum ex 4 columnis suspenso, non opus est columnas portae, & quasi postes, prope conjungere & fere apponere proximis columnis e tribus illis modo memoratis, sed

§. III. Situs earundem.

designato hinc & inde a lateribus 15 cubitorum spatio columnas duas collocare, & inter has alias duas medias, quae quatuor simul efficiant *Exod.* 38: 15, 18.

§. IV. Materia altaris.

IV. Erat in atrio non longe ab introitu Tabernaculi (*Exod.* 40: 29.) altare, Hebraeis מִזְבֵּחַ, ligneum quidem sed aere obductum. *Exod.* 27: 1, 2. quare aeneum appellatur *2 Chron.* 1: 5. & laminae e thuribulis aereis *Num.* 16: 38. ei adaptatae sunt. Terreum nuncupatur *Exod.* 20: 24. respectu terrae ingestae, qua replebatur, ut ignem & victimas sustineret. In Schilo pro terra lapides substitutos volunt Judaei: quo nonnulli referunt *Exod.* 20: 25. & *Deut.* 27: 6. ubi Deus jubet trajecto Jordane altare ex lapidibus impolitis sibi exstrui in monte Ebal: quod & fecit *Jos.* 8: 31.

§. V. Forma altaris.

V. Formae erat quadratae, longum 5 cubitos & totidem latum, (*Exod.* 38: 1.) tres vero altum, intus cavum, uti dicitur *Exod.* 27: 8. instructum opere reticulato, & quatuor cornibus ad 4 angulos, ut & clivo annulisque quatuor ad immittendos vectes quibus portabatur. *Exod.* 27: 1. & *seqq.* & 38. 1. opus autem Bezaleelis, uti ibidem & *2 Chron.* 1: 5. appellatur.

V. Cli-

VI. Clivus, כַּבֵּשׁ, per quem adscen- §. VI. Cli-
debatur ad altare, carebat gradibus *Exod.* vus ejus.
20: 26. sed aequali superficie ad illud sur-
sum dicebat, qui an ex terra aggesta an
assere uno vel pluribus constiterit incertum
est. Quia autem circuitus altaris, qui in
summo esse vix potuit ob angustiam spa-
tii, & sub quo opus reticulatum fuit, me-
moratur *Exod.* 38: 4. & sanguis victima-
rum cornibus adspergi, infra ambitum
quoque spargi, & ad basin effundi non-
nunquam debuit, inde triplicem clivum,
unum medium eumque altissimum, alte-
rum ad dextram, tertium ad sinistram, du-
centes ad utrumque altaris circuitum, uti
in altari Templi Secundi, multi statuunt:
alii tamen putant unum circuitum suffe-
cisse huic exiguo altari, maxime quum
nullorum praeterea mentionem faciat sa-
cer scriptor, & formae altaris portatili vix
conveniant.

VII. Opus reticulatum aereum מַעֲשֵׂה §. VII. O-
רשת & מכבר, quasi *augmentum* di- pus reticu-
cas, (cui affixi erant 4 annuli, quibus al- latum.
tare portebatur) nonnulli in summo alta-
ris locant, sic ut igni alendo & combu-
rendis victimis inservierit; alii vero illud
volunt extrinsecus cinxisse partem inferio-
rem

rem altaris a basi usque ad medium, vel ipsi illi parti hoc opus insertum fuisse; quo nos ducunt verba *Exod.* 38: 4. ubi dicitur *infra ambitum* altaris fuisse, מלמטה עד תחתיו *ab infima parte usque ad medium.* Usus ejus Judaei in *Gem. Zevachim.* 53: 1. fuisse volunt eundem, qui fuit fili rubri in altari Templi secundi, scilicet, distinguere inter sanguines victimarum vel superiori vel inferiori parti altaris adspargendos. Potuit etiam sustinuisse circuitum altaris, & quia ultra longitudinem latitudinemque altaris, quae fuit 5 cubitorum, paulum se extendebat, nomen מכבד tulisse.

§. VIII.
Ignis.

VIII. Supra hoc altare perpetuus ignis alebatur, divisus, ut Judaei volunt, in tres focos, unum ad combustionem victimarum, alterum ad adolendum suffitum, tertium ad alimentum ignis perpetui secundum mandatum Dei, ex quo reliqui foci extincti denuo restaurari possent: qui ignis coelo demissus *Levit.* 9: 23. in eo conservatus fuit usque ad exstructum Templum Salomonicum, vel virtute Dei, ut quidam volunt, vel alimento novo quotidie a sacerdotibus ministrato.

IX. Prae-

IX. Praeterea erat in atrio inter altare ^{§. IX. Labrum} & Sanctum, paulo tamen vicinius meridiei, uti Judaei tradunt (quia non id sed altare dicitur esse לפני אהל מועד) Labrum aereum, insistens scapo aeneo: non ex aere oblato, *Exod. 38: 29.* sed speculis mulierum הזבנת (confer *1 Sam. 3: 22.*) confectum, e quo sacerdotes manus & pedes lavabant. *Exod. 30: 13. Exod. 38: 8.* Alterius labri Moses non meminit ad lavandas carnes victimarum: uti nec qua ratione Labrum illud prius portaretur, quod Alexandrini Interpretes, inserto commate quod in textu Hebraeo non invenitur, narrant *Num. 4: 15.* Καὶ λήφονται ἱμάτιον πορφυρῆν, καὶ συνκαλύψουσιν τὸν λατῆρα καὶ τὴν βάσιν αὐτῆς, καὶ ἐμβαλῶσιν αὐτὰ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπὶ ἀναφορεῖς. Quae quidem hoc fere modo lecta fuerunt a Cyrillo, *lib. XIII. de adorat. in spir. c. ver. p. 456.* Et convenit cum iis Pentateuchus Hebraeo Samaritanus, & versio Samaritana in quibus hoc comma legitur וְלַקְחוּ בַגָּד אַרְגָּמָן וְכֶסֶד אֶת הַכִּיּוֹר וְאֶת כְּנֹו וְנִתְּנוּ אֵת אֶל מִכְסֵה תַחַשׁ וְנִתְּנוּ עַל הַמוֹט.

De Sancto & Sancto Sanctorum.

§. I. Magnitudo Tabernaculi, & asseres.

I. **L**onga erat tota aedes Sanctum & S. sanctorum complexa, intus mensurata, cubitos 30, lata 10 & totidem alta. Latera ejus constabant ex asseribus, קרשים, sive σύλοις, ligni שטים Schittim, quod genus arboris esse in solitudine Arabiae, spinae albae simile colore & foliis, ea magnitudine ut latissima ex iis tabulata caedantur, fortissimum quoque & incredibilem levitatis ac pulcritudinis, testatur Hieron. *comm. ad Joël. 111. p. 1368.* Hi erant numero 48, & obducti auro, longi 10 cubitos, lati cubitum & dimidium, *Exod. 26: 16.* crassi cubitum unum, quod colligitur ex testimonio Judaeorum, & latitudine Tabernaculi interna, quae fuit, teste Philone, 10 cubitorum, quorum novem efficiunt 6 asseres occidentales *Exod. 26: 22.* & dimidius cubitus hinc & inde asserum duorum angularium, ita ut in reliquam latitudinem asserum angularium, cubitalem scilicet, impingant eamque teganit crassitie sua asseres laterales: remaneat-

neatque internum Tabernaculi spatium latum cubitos decem.

II. Hi ad meridiem, occidentem, & septentrionem erecti, singuli duabus ar-
 genteis basibus, ארנים, quibus al-
 titudo cubiti tribuitur in *Gem. Schab-*
bath. 98: 2. inferebantur per ידות, si-
 ve protensas hinc & inde eminentias
 manuum ad instar, quae duae in uno-
 quoque assere ab uno & altero latere ba-
 sibus immissae, & pinnis יתדות *Exod.*
38: 31. ubi pinnae Tabernaculi distin-
 ctae a pinnis atrii memorantur, quam-
 vis alii putent pinnis terrae infixis vela
 ipsa firmata fuisse, *Exod. 27: 19.* stabilitate
 erectos asseres servabant. Praeterea erant
 in unoquoque Tabernaculi latere transtilla
 (בריהים) extrinsecus per uncos (טבעות)
 missa & unum medios asseres permeans,
 lignea illa sed auro obducta, *Exod. 26: 28.*
 de quorum longitudine disputatur in *Mi-*
drasch schir basschirim fol. 12. col. 2.

III. Superne obductum erat quatuor
 velis, quorum infimum partem quoque
 laterum extrinsecus ita tegebat, ut ad pla-
 gam occidentalem unius cubiti spatium a so-
 lo distaret, ad meridiem & septentrionem
 duobus cubitis; longum enim erat cubi-

§. II. Bases,
 pinnae, &
 transtilla.

§. III. Ve-
 lorum ma-
 gnitudo, si-
 tus & ma-
 teria.

5051

108

tos 28, latum 40: alterum vero longum
 cubitos 30, latum 44: antequam, uti nonnul-
 li volunt, duorum cubitorum spatium com-
plicatum & dependens: ab occidente, aequè
 ac ad septentrionem & meridiem a terra per
spatium cubiti distabat *Exod. 26: 12. 36: 8.*
 Hujus complicationis causa pars una hujus
 veli ex 6 cortinis fieri jubetur, ut tota
 sexta cortina huic usui inserviat; & quod
 ad cetera, laqueoli ansulaeque veli primi
 & secundi eodem loco inter Sanctum, &
 Sanctum Sanctorum existerent. Sunt tamen
 qui putent per duos cubitos sive spatium
 dimidiaae cortinae וְצִי הַיְרִיעָה ultra ve-
 lum primum ab occidente hoc velum se-
 cundum fuisse porrectum, adeo ut per spa-
 tium cubiti humo incubuerit, & ab orien-
te nihil fuerit dependens nec cortina sexta
 complicata se extenderit ultra velum pri-
 mum, quod videtur convenire cum verbis
 Dei *Exod. 26: 12, 13.* Tertii veli & quarti
 magnitudinem Moses non tradit. Priora
duo יְרִיעוֹת appellantur, posteriora מַכְסֵה.
 Alexandrini primum ἀνλαίας vocant (quod
 sc. ex decem cortinis constaret, quas &
 Epiphanius *adv. haer. p. 252. δέκα ἀν-*
λαίας vocat) reliqua δέρρεϊς. Veli primi
 materia linum erat retortum וְשֵׁשׁ וְשֵׁשׁ &
 lana

lana trium colorum, hyacinthina, purpurea & coccinea. Secundum constabat ex pilis caprinis. Tertium ex pellibus rubris arietum. Quartum ex תחשים, de quibus disputatur in *Gem. Schabbath fol. 28. 1. & 98. 2. & in Gem. Hier. Schabbath 4. 4. & Midrasch Coheleth. 90. 2.*

IV. Velum primum, quod constabat §. IV. La. ex 10 cortinis, יריעות (*Exod. 26: 1.*) 28 queoli & cubitos longis & 4 latis, quarum 5 simul anfae velorum. junctae & confutae partem dimidiam totius veli constituebant, uti & aliae 5 alteram partem dimidiam, in medio connectebatur laqueolis ex lana hyacinthina ללאות, 50 in uno latere, 50 in altero *Exod. 26: 5.* quos ansulae aureae קרסים, 50 numero, conjungebant. Sub his ansulis (תחת הקרסים) velum interius sive פרכת distinguens Sanctum a Sancto Sanctorum jubetur suspendi *Exod. 26: 33.* Velum secundum constabat ex cortinis undecim, longis cubitos 30, latis 4, in duas partes divisum, quae connectebantur sibi mutuo per laqueolos, & per ansulas aereas *Exod. 26: 11.* quarum una ex 5, altera ex 6 cortinis constabat.

V. Tabernaculum duo conclavia com- §. V. Con- plectebatur, 4 columnis ligneis auro ob- clave ante- ductis

rius five
Sanctum.

ductis insertisque basibus 4 argenteis & velo פֶּרֶכֶת intermedio a se invicem separata, quorum unum Sanctum, & σκη-
νὴ πρώτη *Hebr.* 9: 2. alterum Sanctum
Sanctorum & σκηνὴ δευτέρα appellatur. San-
ctum, in quod nulli, nisi Sacerdotibus
quorum opera ibi requirebatur (nam
extra tempus ministerii non licebat)
intrare licuit, longum erat cubitos 20,
latum & altum 10, & ab oriente in
ipso introitu 5 columnas lignneas auro
obductas habebat, insertas basibus si-
ve stylobatis aereis, & velum dependens,
(רָמַם) quod tamen respectu operis diffe-
rebat a velo Sanctum & Sanctum Sancto-
rum discernente, quum hoc sc. inter San-
ctum & Sanctum Sanctorum מַעֲשֵׂה הַשֵּׁב
illud רָקַם fuerit. *Exod.* 26: 31, 36.

§. VI. Va-
sa Sancti
& eorum
situs.

VI. Tria erant potissima hujus Sancti
ornamenta, Lychnuchus, Altare suffitus,
& Mensa panum propositionis. Lychnu-
chus collocatus erat ad latus meridionale
Tabernaculi, *Exod.* 40: 24. sive Sanctum
introeunti ad sinistram, mensa panum
propositionis ad latus septentrionale, utra-
que secundum traditiones Hebraeorum a
latere tabernaculi remota spatio cubito-
rum duorum & dimidii, altare suffitus in-
ter

ter illa erat medium. Haec autem tria non valde propinqua velo exteriori, per quod ex atrio patebat introitus, nec etiam velo Sanctum a Sancto Sanctorum distinguenti, videntur fuisse; sed loco intermedio collocata, ita tamen ut Altare suffitus plagae orientali propius fuerit, secundum Hebraeorum sententiam, quam Lychnuchus aut Mensa panum.

VII. Lychnuchus, dictus מנורה, to- §. VII: tus erat aureus, constans basi (ירך) & Lychnuchi scapo, qui & ipse מנורה dicitur, *Exod.* descriptione. 25: 34. e cujus lateribus hinc & inde tres rami surgebant, sic ut illi cum scapo septem lychnos, instructos ellychniis extorsum vergentibus, quia jubentur lucere על פניה *Exod.* 25: 37. sustinerent, crateribus (גביעים) 22, malis (כפתרים) 11, & floribus (פרחים) 9 ornati, secundum computum Gemaricorum in *Gem. Menachoth. fol. 28. 2.*

VIII. Lychnuchi figura describitur §. VIII: *Exod.* 25: 33. & 37: 17. Judaeorum au- Figura tem traditiones ita eum depingunt in *Gem.* Lychnuchi secundum Judaeos & scapum, complectens palmos 3 (ubi erant situs. tres pedes, quibus insistebat, & flos) palmos 2 inornatos & laeves, palmum 1

C 2 (in

(in quo erant crater, malogranatum & flos) palmos duos laeves, malogranatum unius palmi (supra quod utrinque rami surgebant) palmum laevem, malogranatum unius palmi (supra quod alii duo rami) palmum laevem, malogranatum unius palmi, (supra quod alii duo rami) palmos 2 laeves, denique palmos tres, in quibus erant (quod ornamentum solum habebant reliqui 6 rami) crateres tres, malum & flos. Medius lychnus horum septem, ad quem ellychnia omnium aliorum erant conversa, occidentalis vel vespertinus נר מערבי appellatur, & uti scapus, cui insidebat, reliquis ramis erat ornatio, ita & ipse ellychnium habuisse dicitur conversum ad Sanctum Sanctorum: quamvis alii putent non propterea מערבי dictum, sed quod ab una vespera ad alteram luceret semper, licet alii extinguerentur. De situ Lychnuchi in Sancto disputatur: quidam volunt ramos ejus ab oriente ad occidentem protensos fuisse, quod omnia vasa aedis sacrae juxta longitudinem domus collocata fuisse in Gem. Menach. fol. 98. i. tradatur, excepta arca: alii inter Austrum & Septentrionem, ut ita aptius concipi queat medium lychnum occidentalem fuisse appellatum. IX.

IX. Ardebant lychni septem hujus §. IX. Usus
 lychnuchi תמיד semper coram facie Dei, lychnuchi
 id est, singulis noctibus, *a vespera usque* nocturnus.
ad mane כערב עד הבקר *Exod. 27: 21.*
Levit. 24: 3. quare accendebantur בערב
 2 *Chron. 13: 11.* aut בערבים *inter duas*
vesperas, Exod. 30: 8. sed mane sacerdo-
 tum munus non erat להעלות את הנרות
 accendere lucernas, (id erat munus vesper-
 tinum) sed להיטיב *concinare*, id est,
 fordes tollere &c. quando extingueban-
 tur lychni. i *Sam. 3: 3.* qui duo actus di-
 stincti respectu temporis etiam nominibus
 his distinguuntur *Exod. 30: 7. & 8.* quod
 fieri debuisse non videtur, siquidem idem
 fuisset vespertinum idem matutinum, lych-
 nos scilicet accendendi, officium. Quod
si stante Templo secundo Judaei etiam
interdiu lychnos hos sive omnes sive ali-
quos lucere voluerint, ut ignis esset ἀθά-
νατος in Templo (quo Diodori Siculi
 & Josephi testimonia nos ducere viden-
 tur) non tamen vel jussisse hoc Deum,
 vel in Tabernaculo hunc morem obser-
 vatum fuisse arbitramur. Usui lychnuchi
 inserviebat oleum idque purum, cujus di-
 midius logus sufficiebat unicuique lychno
Menachoth. ix. 3. ita ut lucere posset per
 C 3 noctem

noctem longissimam Tebeth. *Gem. Hier. Joma. 39: 4.* Deinde מלקחות forcipes aurei, מהרות, vascula quibus prunae imponebantur, & phiala olei.

§. X. Altare suffitus eiusque situs & forma.

X. Altare suffitus male nonnulli in Sancto Sanctorum collocatum voluerunt, quia scilicet *1 Reg. 6: 22.* המזבח אשר לדביר appellatur, & quia *θυμιατήριον χρυσεόν* *Hebr. 9: 4.* in Sancto Sanctorum fuisse dicitur, nam illud לדביר notat non in ipso דביר, sed ante illud לפני הפרכת ante velum distinguens Sanctum a Sancto Sanctorum, uti dicitur *Exod. 30: 6.* vel לפני ארון העדות *Exod. 40: 5.* in medio sc. Sancti e regione arcae quae in medio Sancti Sanctorum erat, collocatum fuisse altare, quum mensa & lychnuchus non essent e regione arcae sed ad latus utrumque Tabernaculi. De *θυμιατήριον* quod *Hebr. 9: 4.* in Sancto Sanctorum fuisse legitur, vide infra §. ult. Ligneum erat sed auro obductum, ad crassitiem denarii, uti legitur in *Gem. Eruvin. 19: 1.* longum cubitum unum, & latum, altum vero duos, in summo quatuor cornibus ad 4 angulos, & limbo (גו) circumquaque, ornatum, superne (בגגו) solidum, cui imponebantur

bantur prunae ex vasculo effusae cum suffitu adolendo. *Exod.* 30: 1. Hoc ut commodius portaretur, annuli duo aurei lateribus erant affixi, per quos immittebantur vectes; qui an semper annulis immitti manserint, an vero tantum, quum altare alio portandum esset, disputatur.

XI. Suffitus ipse, sive pulvis aromaticus, §. XI. Descriptio
dicitur *Exod.* 30: 34. componi ex his quatuor, לבנה. שחלת. לבנה זכה. ipsius suffitus.
id est, uti vulgo redditur, gutta (scilicet opobalsami, sed Maimonides explicat per גולב id est, ξυλοβάλσαμον, quo Syri ὡς ἀρώματι χρῶνται, teste Strabone l. xvj. Γεογραφ.) onyche, (لبن طبیب) unguibus aromaticis Maimonidi, vel partibus quibusdam junci odorati Syriaci quas ungues appellari testatur *Plinius*, l. xxi. 18.) galbano aromatico (στακτή, styrace, eisdem) & thure puro. At Judaei in *Gem. Kerituth.* 78. 1. & *Gem. Hier. Foma.* 41: 4. septem praeterea memorant aromata in ejus confectione adhiberi solita, quae Moses consulto praeteriit, 1. Myrrham (סקיו, muscum Maimonidi, sed male) 2. Cassiam. 3. Spicam nardi. 4. Crocum. 5. Costum. 6. Calamum aromaticum. 7. Cinnamum.

mum. Confer *Jes.* 43: 23. *Jerem.* 6: 20. *Syracidem cap.* 24: 17, 18. & *Josephum de Bell. Jud.* 6: 6. Hæc præcedentibus juncta undecim efficiunt אחד עשר סממנין dicta in *Midrasch Schir Hasschirim. fol.* 12. 4 & 21. 3. Quibus alii addunt, כפית, מעלה עשן, ambram Jordanis, הירדן, herbam qua fumus suffitus recta adscendebat, & מלה סדומית, sal Sodomiticum, quod magis exliccare, digerere, & extenuare quam alia salia testatur *Galenus lib.* iv. *de simplic. medic. facult.* quae sine certo pondere aromatibus miscebantur.

§. XII.
Præparatio
Suffitus.

XII. Haec omnia ut probe misceri possint, in mortario aeneo redigi debuerunt in pulverem. *Exod.* 30: 36. & onyx praecipue sive שחלת fricari sapone Car-schinae, בורית כרשונה, & lavari vino Capparisin יין קפריסין *Gem. Hier. Jo-ma.* 41: 4. Haec peragenda fuisse dicunt Judaei in atrio, ubi & servabatur suffitus, (certe stante Templo 11 is mos obtinuit) in usum totius anni quantitate 368 librarum confectus, donec vel vespere vel mane semis ex eo adoleretur. Vide *Gem. Schevuoth* 10: 2. Has autem libras 368 ita Gemarici supputant in *Gem. Kerituth fol.* 28. 1. ut sint,

הצרי

הצרי והצפורן והחלבנה והלבנה	
Singula 70 librae, id est, universim	280
כר וקציע שיבול נרד וכרכום	
Singula 16 librae.	64
הקושט	12 librae 12
קילוף	3 librae 3
קינמון	9 librae 9
	368

XIII. Mensa ad Septentrionem Sancti collocata erat, ita ut ejus longitudo conveniret longitudini aedis, cui imponebantur 12 panes, dicti facierum פנים, sive propolitionis, etiam לחם המערכת *Nehem. 10: 33*. Lignea erat, auro obducta, alta cubitum cum dimidio, longa cubitos duos, sive palmos 12, (*Menach. xi. 5.*) ita quidem ut panes (qui 10 palmos longi erant antequam replicarentur, at 6 palmos postquam essent replicati) longitudine sua latitudini mensae essent aequales; & latitudine sua (quae erat singulis 5 palmorum, adeoque junctim, quia duo erant panum ordines, palmorum 10) tegerent 10 palmos longitudinis mensae, & spatium 2 palmorum intermedium relinquerent acerris thuris destinatum. Erat autem mensa cubitum (Nota cubitos esse 6 palmorum omnes, excepto altari aureo, cornu, circuitu, & fundamento altaris exterioris. *Germ. Hieros.*

§. XIII:
Mensa panum propolitionis.

ros. *Schekalim. fol. 9. col. 2. & Gem. Menachoth. 97. 1.*) lata unum, circumdata in medio, ut videtur, altitudinis mensae cingulo palmari sive zophoro, מסגרת, cujus ope pedes 4 jungebantur, quodque ambiebatur corona, וי dicta, distinguenda omnino ab alia corona וי quae ipsam mensae tabulam cingebat. De illa agitur *Exod. 25: 25.* de hac *Exod. 25: 24. & quatuor pedibus, quorum singulis affixus erat annulus, non pendulus, sed fixus, (quod & ex origine vocis טבעות & testimonio Josephi lib. III. Ant. 7. colligitur) cui vectis immitti poterat quum portaretur, innitebatur. Exod. 25: 23.*

§. XIV.
Supellex ad
mensam
pertinens.

XIV. Vasa quatuor praeterea memorantur, *Num. 4: 7.* ad usum mensae fabricata. i. קערות positae supra mensam, *Exod. 37: 16.* quas lances sive patinas fuisse putamus (uti *Num. 7: 14.*) ii. כפות acerrae thuris (quales *Num. 7: 14.*) iii. & iv. קשות ומנקיות quo duplici nomine putamus unam rem, respectu duarum qualitatum, insigniri, calamos scilicet duos & intus cavos, qui inter panes ponebantur: nam idem usus utrisque adscribitur sc. קשות הנסך nuncupantur *Num. 4: 7.* & de מנקיות dicitur *Exod. 25: 29.* אשר יסך

יֶסֶד בְּהֵן, & de קִשׁוֹת idem dicitur *Ex.* 37: 16. scilicet tegendis panibus inserviebant, ita ut liber aëri daretur inter panes transitus.

XV. Panes hi, pecunia aerarii sacri §. XV. Pa-
 emti (*Neh.* 10: 33.) oblongi erant, 10 num figura
 palmos longi, quinque lati (uti traditur & usus.
 in *Menachot.* xi. 4.) quibus Hebraei emi-
 mentias duas laterales, vel cornua, קַרְנוֹת,
 attribuunt, ad altitudinem 7 digitorum,
 nata ex gemina panum in extremitatibus
 replicatione, unde potissimum panes fa-
 cierum vel laterum dictos existimant. Hu-
 jus figurae character Talmudicis est יֶדֶן.
 10. 5. 7. Crassi erant digitum unum, &
confecti ex farina purissima sine fermento
 continentes singuli duas decimas Ephae
 dispositi duobus ordinibus in mensa, di-
 stincti tamen, ne unus alterum premeret,
 & ut aëri liber ad illos pateret aditus, ca-
lamis aureis, quales tres inter unumquem-
que panem collocatos volunt, excepto su-
 premo qui duobus tantum innitebatur.
Gem. Menachoth 97. 1. Singulis autem
 Sabbathis panes recentes substituebantur,
Lev. 24: 8. & illi qui in Sancto collocati
 fuerant comedebantur a Sacerdotibus ac-
 cedentis & recedentis Ephemeriae, non
 ante

ante nonum nec post undecimum diem a coctione. *Erachin.* 11. 2. *Gem. Pesachim.* 47. 1. Una cum hisce panibus mensae imponebantur duae acerrae thuris, quas nonnulli super geminos eorum ordines, alii verisimilius inter illos in ipsa mensa collocatas fuisse arbitrantur.

§. XVI.
De Libamine in mensa sacra.

XVI. Non desunt, qui una cum panibus mensae sacrae imposita libamina existiment, 1. quod *Exod.* 37:16. & alibi vasa imposita mensae legantur, אֲשֶׁר יִסַּךְ בָּהֶם, id est, uti illi reddunt, quibus libetur, ἐν οἷς σπείσῃς. 2. quod σπονδεῖα memorent in mensa fuisse Interpretes Alexandrini, Philo, Josephus. 3. quod fertis libamina jungi soleant. 4. quia *Exod.* 30: 9. de altari suffitus speciatim mandatur, super eo libandum non esse. Sed obstat haec sententia constanti Judaeorum traditioni, nec ullum in Sacro Codice habet firmamentum, ipsaeque illae rationes quatuor istius ponderis non videntur, ut nos cogant illi opinioni subscribere: nam 1. illud יִסַּךְ reddimus tegetur: nec est quod obstat. II. σπονδεῖα male reddiderunt Interpretes Graeci, quos Philo sequitur: quibusque ut in Aegypto viventibus haec ignorantia rituum Hierosolymitanorum

potuit subrepere. Josephus autem *σπονδεῖα* scribit a Pompejo visa, at non imposita mensae sacrae, aut vino repleta, sed cum pecunia sacra, congestis aromatibus aliisque quae extra Sanctum fuerunt, aut certe esse solebant: ne dicamus de latiori usu vocis *σπονδελων*, aut quod forsitan vascula aurea, libamini vini in altari exteriori inservientia, in Sancto reposita esse aliquando potuerint: nequaquam tamen uti libatoria respectu panum sacrorum habenda. III. Fertis omnibus libamina juncta fuisse falsum est. IV. quia in altari suffitus libatio interdicitur, ergo in mensa libamen fuisse non sequitur.

XVII. Videtur & in Sancto fuisse Le-
cythus olei sacri, quod Zadok Pontifex M.
ex Tabernaculo petiisse legitur ut Regem
Salomonem ungeret, quod multi putant
idem fuisse cum illo oleo quo sacerdotes
ungebantur, unde in *Targum Coheleth*,
cap. 7: 2. legitur *משחא דרבותא דהוא*
מתרבי על ריש מלכיא וכהניא. Alii ve-
ro putant, quum Deus oleo sacro, quo
sacerdotes ungi voluit, ullum praeterea
mortalium ungi vetuerit, alio oleo unctos
fuisse Reges quam sacerdotes: utrosque
tamen oleo sacro, sed diversi generis.
Quamvis dici posset id interdictum Dei
specta-

§. XVII.
Reliqua
vasa San-
cti.

spectare ea tempora, quae tunc erant, quum nulli adhuc Reges essent in populo Israëlitico. *1 Reg. 1: 39.* Praeterea in Sancto fuisse videtur codex in quo Samuel jura regni descripsit. *1 Sam. 10: 25.*

§. XVIII.

Sanctum
Sancto-
rum.

XVIII. Sanctissimum Tabernaculi adytum, Hebraeis **דביר & קדש קדשים** quod per *λαλητήριον* reddit Hieronymus in *Comm. ad Epist. ad Ephes. cap. 2.* Graecis *ἅγια ἁγίων* dicitur. Separatum hoc erat a Sancto columnis & appenso velo preciosissimo, **בשב**, quod appensum fuit illis columnis ligneis & auro obductis, insertisque basibus argenteis sub isto spatio quod laqueoli & ansulae connectentes utramque partem veli primi Tabernaculum tegentis occupabant, **תחת הקרסים** *Exod. 26: 32.* Nulli post Mosen, nisi Pontifici Maximo, introire in hoc Penetrabile concessum fuit. *Num. 7: 89. Hebr. 9: 7.* & solo quidem die Expiationis quatuor vicibus, 1. Ad suffitum adolendum. 2. Spargendum sanguinem Juvenci. 3. Et hirci. 4. Ad exportandum thuribulum & acerram. At ubi vel ipsius vel aliorum quoque opera illic necessario requireretur, & ipse & Sacerdotes id intrabant.

§. XIX. At-

XIX. Praecipuum hujus Conclavis ornamentum.

namentum fuit Arca foederis, dicta ארון ca foederis descri-
הברית, καβωτὸς &c. opus quidem Be-
zaleelis, & distincta, ut nonnullis vi-
detur, ab arca lignea Mosis quae fra-
ctas foederis tabulas complectebatur. *Deut.*
10: 3. alta erat & lata cubitum & dimi-
dium, longa duos & dimidium, ex li-
gno Schittim fabricata, & auro obducta,
supra limbo aureo, qui cingebat arcae
incumbens operculum, & ad latera in
latitudine 4 annulis aureis, quibus immis-
si vectes protensi versus Sanctum semper
inerant, ornata. *Exod.* 25: 10--15. sic
ut longitudo ejus conveniret latitudini
aedis.

XX. Alta erat & lata cubitum & di- §. XX. Ar-
midium, longa duos & dimidium, extrin- cae magni-
secus sc. mensurata: nam, quia operculum tudo.
etiam cubitos duos & dimidium longum
erat, incidisset in arcam, si tanta fuisset
longitudo arcae interna. Erat autem cubi-
tus sex palmorum אמה בת ששה טפחים,
uti dicitur *Gem. Bava bathra.* 14: 1. *Gem.*
Hier. Sota. 22. 3. Sic ut una cum oper-
culo altitudo arcae fuerit 10 palmorum.
Operculi enim crassities unius palmi fuif-
se legitur in *Gem. Nidda.* 26. 2. *Gem.*
Schabbat. 92. 1. *Gem. Sanhedrin* 7. 1. Ob-
ser-

fervant Judaei, quum reliquorum vasorum Tabernaculi memoretur in sacro Codice longitudo, latitudo atque altitudo, operculi altitudinem, sive crassitiem, non dedisse Mosen. Sed palmarem eam fuisse colligunt ex limbo mensae palmum alto. *Ex. 25: 25.* quoniam sc. eadem phrasēs de utroque adhibentur, de uno vase iudicium ferunt secundum aliud, דנין כלי מכלי. *Gem. Hieros. Schabbath. 2. 4.*

§. XXI.
Opercu-
lum arcae.

XXI. Pretiosissima hujus arcae pars fuit Operculum aureum, quod Hebraice כפרת dicitur, Graece ἱλαστήριον, sive Propitiatorium, quod solenni Expiationi quotannis inserviret sanguinem adpersum excipiendo. Ante hoc Pontifex M. inter vectes constitutus digito sanguinem spargebat solenni die Expiationis, semel sursum & septies deorsum. Sunt qui velint ipsi huic operculo sanguinem adpersum non fuisse, nec ad illud pertigisse: alii vero omnino sanguinem ei adpersum fuisse, de qua re jam olim disputatum fuit in *Gem. Foma. 55. 1.* & in *Gem. Hieros. Foma. 42. 3.*

§. XXII.
Cherubini
supra oper-
culum.

XXII. Supra hoc operculum duae imagines aureae Cherubinorum passis alis sursum, ac sibi mutuo obversae & inclinatae versus operculum, eminebant. Ho-

rum

rum figura quae fuerit incertum fere est: nisi quod constet imagines fuisse alis, facie, pedibus, manibusque instructas. Facies humana ipsis non fuit, nam *Ezech.* 10: 4. facies Cherubini & facies hominis distinguuntur: nec per omnia hominibus similes fuisse indicio est quod *Ezech.* 10: 8. legatur manum humanam iis fuisse sub alis. Sunt qui putent, quia quae *Ezech.* 1: 10. facies bovis dicitur, appellatur *Ezech.* 10: 14. facies Cherubini, facie illos bovina fuisse, & quia Cherubinus Jeroboami bos appellatur *Hof.* 8: 6. sed *1 Reg.* 7: 29. distinguuntur boves & Cherubini: nec dubito, si sacri scriptores voluissent nos magis accuratam habere formae Cherubinatorum notitiam, clarius & copiosius descripturos fuisse.

XXIII. In ipsa arca servabantur duae §. XXIII. tabulae lapideae foederis, longae 6 pal- Tabulae
mos, totidem latae & tres crassae, uti Ju- foederis in
dae tradunt in *Gem. Bava Bathra* 14: 1. tentae:
Gem. Nedarim. 38. 1. *Gem. Hier. Taanith:*
63: 3. *Gem. Sota. Hier.* 22: 3. *Gem. Hier.*
Schekalim. 9: 2. quas die sexto creatas narrant
in *Gem. Pesachim.* 54: 1. Has autem He-
braei ita arcae impositas fuisse volunt, ut
ex longitudine arcae, 15 palmorum, ta-
bulae

D

bulae juxta se invicem collocatae occupaverint palmos 12, & tres palmi reliqui numerentur, duo pro spatio, in quo erat liber Legis & dimidius palmus pro crassitie lateris arcae hinc & dimidius inde. Ex latitudine vero arcae, quae 9 erat palmorum, tabulae occuparunt 6, quibus si addatur dimidius cubitus hinc & dimidius inde pro crassitie lateris arcae, restant palmi duo vacui, ut tabulae erui commode ex arca & immitti possent. Vide haec *Gem. Hieros. Schekalim* 49. 4. & *Gem. Succa*, 5. 2.

§. XXIV.
Amphora
mannae.

XXIV. Amphora Mannae, מַנְנָה
Hebraice, ἀμφορεύς Graece, *Hebr.* 9: 4. continebat cibi hujus coelestis & incorrupti quantitatem עֶמֶר dictam, ad memoriam ejus rei conservandam, eratque ex auro, & ansis (uti ex nummis veteribus colligitur) duabus instructa: quale vas cum Graeci ὄνον, *asinum*, appellarent, hinc nata videtur calumnia Judaeos asinum penetrari sacravisse, cujus beneficio vitam in deserto produxerint.

§. XXV.
Virga Aaronis.

XXV. Virga Aaronis, מַקְלוֹ שֶׁל
אֶהֱרָן, in testimonium adsignati generi
Aaronico sacerdotii, florens & producens
amygdalos, (שְׁקָדִים) cujus vocis literas
Judaei observant per Gematriam eundem
nume-

numerum [454] reddere quem השמונים quod Sacerdotium nunquam illustrius fuerit quam sub Chasmonaeis) in Sancto quoque Sanctorum ad latus Arcae fuit reposita; *Num.* 17. 10. Hanc nonnulli putant virorem suum perdidisse lapsu temporis, alii vero conservasse, quamdiu in Sanctorum fuit, scilicet usque dum arca fuit abscondita regnante Josia: nam cum illa virgam hanc & oleum unctionis & amphoram mannae absconditam ferunt Judaei in *Gem. Kerituth.* 77: 2. Non videtur eadem illa fuisse cum baculo Mosis, quo tot opera prodigiosa praestitit, quia mirum non fuisset eam virgam, tot miris rebus patratis inclytam, efflorescere, licet aliae virgae ordinariae nullam mutationem paterentur: debebant autem omnes virgae esse conditionis paris, ut Deus ipse ex iis unam indicaret, quam prae reliquis sacerdotio dignaretur.

XXVI. Liber legis, ספר החוקה §. XXVI: (per quem alii exemplum omnium Legum Mosaicarum, alii Deuteronomium, alii Pentateuchum ejusve maximam partem intelligunt) a Mose scriptus, erat hujus quoque loci κειμήλιον; quod ad latus arcae (quidam id intra, sed minus a-

pte, quidam extra arcam concipiunt) collocatum erat, *Deut.* 31: 26. Arcam quandam singularem huic usui tribuunt in *Gem. Bava Bathra.* 14. 1. *Gem. Hier. Sota.* 22. 4. *Targ. Deut.* 31: 26. Distinguendus ille est a ספר העזרה *Libro Atrii*, sive Pentateucho, in quo Pontifex maximus coram populo legebat in atrio mulierum die Expiationis. *Kelim.* xv. 6. *Moed. Katon.* 111: 4. & e quo Rex exemplum suum Pentateuchi describere, aut corrigere saltem, ubi opus esset, debebat.

§. XXVII. Nubes supra arcam. XXVII. Supra arcam & alas Cherubinorum erat illustre praesentiae Divinae Symbolum, Columna nubis, quae absoluto Tabernaculo locum illum Sanctissimum inhabitavit. *Levit.* 16: 2. & ibidem conspicua adhuc fuit tempore Samuelis *Pf.* 99: 7. & postea in Templo primo, non vero in secundo, quod arca foederis caruit. Confer *Ezech.* 10: 3. & 11, 22.

§. XXVIII. Nihilne in arca fuerit praeter tabulas. XXVIII. Praeter tabulas foederis nihil erat in arca tempore Salomonis. *1 Reg.* 8: 9. Antea credibile est amphoram mannae & virgam Aaronis quoque in ea fuisse, scilicet quum arca toties mutaret locum in deserto & terra Canaan, ante constructum Templum: quae condito Templo fuerint exem-

exemptae & juxta arcam collocatae in Sancto Sanctorum. Pro hac sententia faciunt *Hebr.* 3: 9. ἐν ἣ scilicet arca, fuerunt amphora mannae, &c. Quamvis etiam illud ἐν, tum ex consuetudine Graecorum, tum Judaeorum Graece loquentium & illud ἐν pro ἅ substituentium, reddi possit, *cum*, uti eodem illo capite, commate 25. ἐν αἵματι, *cum sanguine*. Sic *Gen.* 32: 10. & 2 *Sam.* 23: 21. ἐν ῥάβδῳ. *Pf.* 23: 5. & *Siracid.* 45: 18. ἐν ἐλαίῳ. *Matth.* 3: 11. ἐν ὕδατι. Scilicet quod illud per ἅ Hebraei dicerent, quod *cum* & *apud* significat *Lev.* 1: 16. *Jos.* 24: 26. Graecos ipsos & Romanos ita nonnunquam locutos patet ex his loquendi modis, ἵπποι ἐν πτεροῖσιν, *sequi in hastis, & occurrere in jaculis*, qui apud Pindarum, Ennium, & Virgilium leguntur.

XXIX. Quidam existimant ad latera arcae capsulas fabricatas fuisse, & de iis agi volunt 1 *Sam.* 6: 15. *Deut.* 31: 26. Sed quum altum sit de iis silentium eo loco ubi omnes arcae partes accurate describuntur, tuto creditur capsas hasce mera esse figmenta. Ea ipsa quae reponenda in his capsis volunt, jubentur poni מצד ארון a latere arcae, & בארון מצדו in capsula a latere.

§. XXIX.
De capsulis
arcae latera-
libus.

latere arcae. Vid. 1 Sam. 6: 15. & Deut. 31: 26. illa autem capsula (אֲרָכָה) etiam fatentibus Judaeis in Gem. Kerituth. 77: 2. & Gem. Hier. Sota 22: 3. separata fuit ab ipsa arca.

§. XXX.
Thuribu-
lum.

XXX. Θυμιατήριον quoque aureum in Sancto Sanctorum fuisse legitur, Hebr. 9: 4. quo nomine non altare aureum sufficitus, sed acerra thuris, quae quotannis in S. Sanctorum solempni die expiationis inferebatur, & respectu usus vas huic loco proprium dici potest, videtur debere intelligi, quum & Josephus lib. 1. 5. de Bell. Θυμιατήρια ὀλόχρυσσα istiusmodi memoret, & Pollux l. 1. 28. & 10. 28. Hesychius aliique acerras vocent Θυμιατήρια.

C A P. V I.

De Templo Primo, ejusque atris.

§. I. Tem-
pli nomi-
na.

I. Templum Hierosolymis exstructum, in loco Deus elegit, secundum Exod. 15: 2, 17. appellatur בית אלהים (quicum convenit τὰ τῶ θεῶ Luc. 2: 49.) & בית, (unde οἶκος Eccles. Sirac. 50: 1.) vel בית זבול. Dicitur etiam מקדש, quod

quod nomen Tabernaculo daturō uti vicif-
 fim nomen Tabernaculi משכן Templo,
 uti observatum est in *Gem. Erubin* 2: 1.
 Solet autem מדינה τῆ מקדש opponi
 uti in *Jeoramoth*. xvi. 6. & τῶν גבולין,
 sic ut quaedam in מדינה aut גבולין lici-
 ta esse dicantur quae vetita sunt in מקדש:
 intelligiturque proprie per מקדש ae-
 des sacra cum atrio magno עזרה, quae
 erant קדש loca Sancta, & opposita re-
 liquis locis, nomine הול sive loci pro-
 fani notis apud Hebraeos. Alii putant
 totam urbem Hierosolymitanam hoc no-
 mine מקדש intelligi, sed in *Gem. Moed.*
Katon. 26: 1. מקדש & ירושלים distin-
 guuntur. Aliquando היכל & היכל dicitur,
 quod nomen proprie aedi sacrae, non
 atriis convenit; & מעון in *Gem. Bava*
Bathra 166. 1. & פנין in *Echa Rabbati*.
 62. 1. & בית עולמים ut a Tabernaculo
 distinguatur. Graeca nomina sunt ἱερόν,
 & ναός, ita ut ναός minus late pateat, &
 cum היכל sive aede sacra conveniat, ἱε-
 ρόν cum מקדש, id est, atrio magno:
 quamvis vox ἱερός latius aliquando pro om-
 ni spatio, quod in monte Moria erat &
 Templum cingebat, accipi videatur: uti &
 vox מקדש in Misna usurpatur de Spatiis
 extra Atrium magnum. Vid. *Schecalim*. 1: 3.

§. II. Quot
Templa
fuerint.

II. Geminum modo Templum fuit, prius a Salomone, posterius a reducibus ex captivitate Babylonica conditum. Judaei ipsi non nisi duo agnoscunt, *מקדש ראשון* Templum primum & *מקדש שני* Templum secundum. Vid. *Gem. Bava Metzia. 28:1. Echa Rabbati 62.1.* ubi Templum a Tito captum *בית שני* vocant. Herodes auxit quidem atque ornavit Templum Secundum, ita ut in *Gem. Bava Bathra. 4. 1. & Gem. Succa 51: 2.* scribant, *eum qui Templum Herodianum non vidit, nunquam vidisse aedificium eximium, מי שלא ראה בנין הרודוס לא ראה בנין נאה*, & saxa ingentia, ad id opus adhibita, ibidem celebrant, quo etiam faciunt verba discipulorum *Marc. 13: 1. ποταποι λίθοι*; sed novi Templi conditor non fuit, non magis quam Chasmonaei qui Templum hoc restaurarunt, aut Joas qui Templum primum renovasse legitur, *2 Chron. 24: 4.*

§. III.
Templi I.
descriptio
unde pe-
tenda.

III. Templum Primum a Salomone exstructum in monte Moria non ita accurate in libris Regum & Chronicorum describitur, ut inde exacta delineatio omnium partium Templi illius peti possit, quamque multae voces ex Architectonica de-

desumptae, de quarum significatione hodie disputatur, ei insertae sint, mirum non est adeo in hoc argumento discrepare Interpretes. Suppleri posse hunc defectum quidam putant ex prolixiore descriptione Templi quam Ezechiel dedit *cap. 41. & seqq.* quandoquidem iis persuasum est Templum ab Ezechiele conspectum idem fuisse cum Salomonico, quum utriusque descriptio ab eodem auctore Deo profecta sit, eidem scopo utrumque fuerit destinatum, nulla in alterutro differentia inveniatur respectu atriorum, Aedis Sacrae, ejusque partium, conclavium, &c. Quapropter Ezechielem parcius descripsisse aut plane omisisse volunt illas Templi partes, quae in libris Regum & Chronicorum copiosius descriptae extant, uti columnas duas ante Aedem Sacram *Ezech. 40: 49. I Reg. 7: 21.* lychnuchum, mensam panum, altare suffitus, & ipsam arcam. Prolixius e contrario Ezechiel descripsit altare exterius, mensuras portarum, atriorum, & conclavium, quorum aut nulla aut levis mentio est in libris Regum.

IV. Lique ex collatione librorum Regum & Chronicorum Atria duo in Templo primo Aedem Sacram cinxisse: men-

D 5

tio

tio enim fit 1 Reg. 6: 36. & 7: 12. *Atrii interioris* הצר הפנימית, quod opponitur exteriori: & 2 Reg. 23: 12. שתי הצרות *duo Atria* diserte memorantur, sic ut interius fuerit הצר הכהנים *Atrium Sacerdotum*, sive החצר אשר לפני הבית 2 Chron. 7: 7. Exterior עזרה הגדולה *Atrium magnum*, sive populi. 2 Chron. 4: 9. In Templo Ezechielis similiter duo tantum atria הצר הפנימית *Atrium Interius* & החצר החיצונה *Atrium Exteriorius* fuisse leguntur. Horum portae aere obductae fuisse traduntur 2 Chr. 4: 9.

§. V. Atrium novum quid.

V. Mentio fit 2 Chr. 20.6. *Atrii novi*, החצר החדשה, ante quod Rex Josaphat stetit ad populum verba facturus, unde male colligitur id tertium aliquod atrium fuisse distinctum a duobus prioribus; nam imperante Menasse, diu post Josaphatum, duo tantum atria Templi memorantur, 2 Reg. 21: 5. uti & apud Ezechielem cap. 10: 3. quibus nonnisi Templi primi atria intelligi possunt. חדש autem sive novum Hebraei appellare solent quod renovatum est. Quapropter id atrium novum idem videtur fuisse cum Atrio Sacerdotum, sed renovatum, ante quod Rex Josaphat populum in atrio exteriori congregatum allocu-

locutus est. Judaei hanc rationem nominis Atrii novi assignare solent, quod eo die novo edicto caverint ne טבול יום (qui interdium lotus ejus diei vesperam praestolari debuit antequam perfecte mundus haberetur) intraret in montem Templi sive הַר הַבַּיִת, quem putant propterea Atrium novum quasi nova Sanctitate donatum, appellatum fuisse. *Gem. Pesachim. 92: 1. Gem. Fevamoth. 7: 2. Gem. Zevachim. 32: 2. Gem. Horaioth. 5.*

VI. Atrium Gentium itaque in Templo Primo nullum fuit. Sacri Scriptores ejus nusquam mentionem faciunt, uti nec Interpretes Judaei. Meminit quidem Rex Salomo in precibus ad Deum fuis quum Templum dedicaret 1 Reg. 8: 41. הנכרי peregrini, qui non esset ex populo Israëlitico & adoraret אל הבית הזה: verum per peregrinum intelligi debere hominem eo tempore quo adoraret adhuc Sacris Gentium addictum, & אל הבית debere reddi per in hac Aede, non ad vel apud Aedem hanc, nondum est demonstratum. Confer de hac phrasi *Gem. Bera-coth. 30: 1. & Midrasch Schir Hassch. 26: 1.*

VII. Collocavit Rex Salomon in Templo sui Atrio ingens vas aeneum lustrationis §. VII. Mappere aeneum in Atrio.

ni Sacerdotum destinatum , הים מוצק ,
 five Mare ex aere fuso , altum quinque
 cubitos , crassum palmum unum (2 Chr.
 4: 4.) latum ab uno labio ad aliud decem,
 & in peripheria complectens cubitos tri-
 ginta. Insistebat 12 bubus aereis , &
 capiebat 3000 bathos aquae. 2 Chron. 4:
 2, 3, 4. At in 1 Reg. 7: 26. 2000 bathos
 cepisse dicitur. Quam differentiam alii ab
 impletione vasis vel ad summum usque
 marginem vel ad mensuram ordinariam,
 alii ab differentia humidorum atque arido-
 rum , alii denique a librariis arcessunt.
 Vide Gem. Hier. Eruvin. 19: 1.

§. VIII. Fi-
 gura ejus.

VIII. Figuram habuisse rotundam sa-
 cer codex tradit 2 Chron. 4: 2. & labium
 ejus instar lilii repandum fuisse , 1 Reg. 7:
 26. Quum autem lilia שושנים a sex fo-
 liis nomen habeant , videtur labium hujus
 vasis sex quasi folia repraesentasse, aut sex
 spatiis, quinque cubitos a se invicem di-
 stantibus, incisum fuisse, proximeque ac-
 cessisse ad hexagonum. Atque ita diame-
 ter cubitorum decem conveniet cum peri-
 pheria cubitorum triginta, quoniam dia-
 meter circuli, cui hexagonum inscriptum
 est, si decem habeat cubitos, quodlibet
 latus hexagoni dabit quinque, adeoque sex
 latera efficient triginta. IX.

IX. Sub hoc mari fuere **מכונות** quo §.IX. Fulcrum
 nomine duplex fulcrum intelligimus id-
 que circulari, in quo repraesentati erant
 duo ordines formarum bovinarum totum
 mare cingentium, quae **פקעים** 1 Reg.
 7: 24. dicuntur. Vide 2 Chr. 4: 3. ubi
תחת לו דמות בקרים & 1 Reg. 7: 24.
תחת לשפתו *sub labio* maris fuisse dicun-
 tur, quod scilicet paulo supra hos ordines
 boum vas ipsum in formam labii flecti in-
 ciperet: nam clarum est **לו תחת** idem
 esse quod **לשפתו תחת** ex collatione duo-
 rum locorum modo adductorum. Vide-
 tur hoc fulcrum in circuitu 10 cubitos
 habuisse **עשר באמה** 1 Reg. 7: 24. (quod
 alii reddunt, 10 fuisse formas bovinas in
 cubito: sed **ארבע באמה** 1 Reg. 7: 27. &
 commate 2, eadem verba **עשר באמה**
 quae cubitos 4, & cubitos 10 notant,
 pro nobis faciunt) & ad firmiorem hujus
 vasis constitutionem esse fabricatum. Sub
 his fulcris, **תחת מכונות**, (Jerem. 52:
 20.) fuere 12 boves aenei versus 4 mun-
 di plagas respicientes, qui **תחת הים** *sub*
mari fuisse dicuntur 1 Reg. 7: 44. & 2 Chr.
 4: 15. Vestigia horum fulcrorum inve-
 niuntur quaedam in verbis Josephi, qui
 mare aeneum fultum spira in helices de-
 cem

cem circumducta scribit, & Eupolemi apud Eusebium, *lib. ix. Praep. Evang.* qui coronae meminit ad ejus basin, *σεφάνης πρὸς τὴν Βάσιν*, ad quam Sacerdotes lavandi ascenderent.

§. X. *Ufus.*

X. Lavabant ex eo Sacerdotes manus & pedes: quod qua ratione peractum sit ambigitur. Sunt qui ipsos Sacerdotes corpora ei immerfisse putent, aut in coronam, quae basin cingebat, ascendisse. Alii vero per plurima epistomia semper aperta aquam defluxisse atque ita a Sacerdotibus exceptam. Alii denique non nisi 12 epistomia ei tribuunt, ut ita duodecim Sacerdotes circa membra holocausti & quae eo pertinebant, occupati (nam tertius & decimus, qui mactaret, lotionem non indigebat) simul lavarentur.

§. XI. *Labra aerea.*

XI. Praeterea 10 labra aenea *כִּירֹת* Salomon in Atrio collocavit, 5 ad dextram, 5 ad sinistram, aedis Sacrae, continentia singula 40 bathos, & innixa basi aeneae altae 3 cubitos, longae & latae 4, quae & ipsa 4 rotis insistebat. Ex his labris aqua petebatur ad lavandas carnes victimarum, *2 Chr. 4: 6. 1 Reg. 7: 27, 38.*

§. XII. *Altare aeneum.*

XII. Altare etiam Salomon extruxit in Atrio appellaturque aeneum, quod aere esset ob-

obductum. Longum autem erat 20 cubi-
 bitos, & totidem latum, altum vero 10.
 2 *Chron.* 4: 1. situm ad orientem aedis Sa-
 crae. Longitudinem 20 cubitorum at-
 tribuit R. Jose in *Middoth.* 111: 1. sum-
 mae parti altaris, putatque imam partem
 patuisse 28 cubitos, sed 4 cubitis hinc &
 4 inde ablatis per fundamentum & circui-
 tum, restare 20 cubitos.

XIII. Non videtur illud altare aeneum, §. XIII:
 quod Afa renovasse legitur 2 *Chron.* 15: 8. Quamdiu
 five aere refuso, five alio modo, persti- in Templo
 tisse usque ad Templi excidium, quia fuerit.
 cum mari aeneo, & labris, aliisque hu-
 jus Atrii ornamentis in Babyloniam de-
 latis, fuisset memoratum, *Jerem.* 52: 17:
 & *seqq.* Sic ut probabile sit lapideum ali-
 quod ejus loco in Templo primo exstru-
 ctum fuisse (forte postquam Rex Ahas
 semoto altari aeneo altare suum Damasce-
 num substituit, 2 *Reg.* 16: 14. vel a Rege
 Menasse de quo legitur יבן את מזבה
 2 *Chron.* 33: 16. licet in visione Prophe-
 tica Ezechiel *cap.* 9: 2. altaris aerei adhuc
 meminerit) ad cujus formam Judaei e ca-
 ptivitate Babylonica reduces lapideum quo-
 que exstruxerunt. Confer *Jerem.* 41: 5.

XIV.

§. XIV.
Conclavia
in Atriis.

XIV. Varia fuere conclavia, לשכות
1 Chr. 9: 26. ad multiplices usus comparata
in Atriis Templi, quae distincte memoran-
tur in circuitu Atriorum, in quibus the-
sauri Sacri 1 Chron. 28. videntur fuisse, di-
stincta ab iis conclavibus, quae Aedem pro-
xime cinxerunt & nomine יציע 1 Reg. 6.
veniunt. Res ipsa docet conclavia quae-
dam ad vasa, vestes, thesauros, aliasque
res sacras recondendas illic esse debuisse,
& mentio quorundam fit, uti memoratur
Conclave Principum, לשנת השרים,
quod erat supra Conclave Maasejae, Con-
clave filiorum Chananis, Jerem. 35: 4.
Conclave Gemariae filii Saphanis scribae
quod erat in Atrio superiori, חצר העליון,
juxta novam portam Templi. Jerem. 36:
10. ubi Baruch legit coram populo verba
ex ore Jeremiae excepta, Conclavia Levi-
tarum. 1 Chron. 9: 33. Conclavia in qui-
bus primitiae, decimae aliaeque res Deo
Sacrae recondebantur, Jussu Chizkiae pa-
rata 2 Chron. 31: 11. His accensent qui-
dam הדור המטור Conclave lectorum,
in quo Joas per sexennium delituit. 2 Reg.
11: 2.

CAP. VII.

De Aede Sacra Templi Primi.

I. **A** Edes Sacra, sive Domus complectens §. I. Pronaon, Sanctum, & Sanctum Sanctorum, frontem habuit altam cubitos 120. §. I. Pronaon aedis sacrae.
 2 *Chron.* 3: 4. Pronaon ipsum longum fuit decem cubitos latum viginti juxta latitudinem totius aedis. 1 *Reg.* 6: 4. In eo clypei Davidis 2 *Reg.* 11. 10. gladius Goliathi 1 *Sam.* 21: 9. & alia ἀναθήματα creduntur servata fuisse. Portae ejus, דלתות אולם, memorantur 2 *Chron.* 29: 7.

II. Ante hoc Pronaon (alii dicunt in §. II. Co- ipso Pronao, quia לפני ההיכל erectae lumnæ dicuntur 2 *Chron.* 3: 17. & לאלם ההיכל ante Pronaon. 1 *Reg.* 2: 7. sed & mare aeneum dicitur exstructum לבית) Salomon duas columnas ex aere fuso, Jacin & Boaz dictas collocavit, quas Eupolemus apud Eusebium. *lib.* ix. *Praepar. Evang.* c. 34. auro inductas fuisse scribit ad crassitiem digiti. Harum descriptio exactior in Tabulis Veteris Testamenti legitur, quam ullarum partium Templi Salomonici, quod videtur eo scopo factum, ut ex earum modulo & propor-

E

por-

portione quam partes harum columnarum ad se invicem habent, tota ratio structuræ Templi intelligeretur. Harum mensuræ ita in Sacro Codice traduntur diversis locis, ut modo una modo duæ conjunctim mensurentur tum respectu crassitiæ tum longitudinis, quod forte, ut Judæi putant, in uno typo junctæ fusæ fuerint, & quibusdam in locis uti *1 Reg. 7: 15.* & *2 Chron. 3: 15.* considerentur non ut erectæ, (nam de erectione earum agitur postea *1 Reg. 7: 21:* & *2 Chron. 3: 17.*) sed uti formabantur manu artificis.

§. III. Altitudo earum.

III. Alta dicitur fuisse una 18 cubitos scilicet cum plinthe dimidium cubitum alto *2 Reg. 25: 17.* *Jerem. 52: 21.* & apud Josephum, ambæ vero altæ 35 cubitos *2 Chron. 3: 15.* scilicet sine plinthe. Quæ altitudo convenit columnæ scapo, sine *שאר*, id est, *capitello* (quod collo scapi impositum secundum proportionem Architectonicam circiter duorum cubitorum fuit) sine *trabeatione* sive *כתרת* quinque cubitorum, quæ *1 Reg. 7: 16.* distincte recensetur, & sine plinthe, cui dimidii cubiti altitudinem damus: quibuscum probabile est totam columnam ad 25 cubitos surrexisse.

IV. Pe-

IV. Peripheria columnae utriusque funiculo 12 cubitorum comprehensa fuit, sic ut diameter unius cujusque columnae fuerit 2 cubitorum. Id colligitur ex 1 Reg. 7: 15. ubi dicitur altitudo unius columnae fuisse 18 cubitorum, & funiculus 12 cubitorum cinxisse *alteram*, השני, sive secundam, id est, uti vulgatus Interpres recte *utramque*. Quorsum enim secundae columnae potius meminisset, quae ejusdem sine dubio crassitiei cum prima esse debuit, nisi secundam quoque funiculo eodem 12 cubitorum comprehensam dicere voluisset una cum prima? Et quamvis Jerem. 52: 21. vox סבנו cum affixo singulari de una columna accipi possit, potest tamen affixum ejusmodi de rebus duabus (quasi hanc & illam dicas) nonnunquam usurpari, ut Deut. 21: 10. & Jos. 2: 4. Adde quod Jeremias ita has columnas describat, ut non omnia quae ad primam pertinent simul tradat (quod nonnullis visum est eo quod comm. 21. memoret distincte *columnam unam* העמוד האחד & comm. 22. *columnae alterius*) העמוד השני quia post factam secundae columnae mentionem comm. 22. sequenti commate redit ad numerum malogranatorum & situm, quae ad primam

§. IV. Crassities earundem.

aeque ac secundam columnam pertinent; sic ut simul eas descripsisse censendus sit.

§. V. Quo delatae sint columnae.

V. Columnas has in Babyloniam delatas fuisse una cum mari aeneo & 12 bobus liquet ex *Jerem.* 52: 16. & *2 Reg.* 25. 13. ubi dicuntur illas uti & mare aeneum & bases labrorum *fregisse* (שברו) & *aes earum* נהשתם pondere innumero Babelem vexisse, sic ut nulla tenus integra sed comminuta haec vasa transtulerint, quo modo commodius vehi potuere. Factum hoc fuit non per Nebucadnezareem quo tempore Jechoniam captivum duxit & aureis vasis Templum spoliavit *2 Reg.* 24: 13. sed Nebuzaradan. *2 Reg.* 25: 8. 13. *Jerem.* 27: 20. Aes autem earum reductum fuit ex Babylonia in Judaeam, uti praedictum fuit *Jerem.* 27: 22. & probabiliter colligitur ex eo quod 5400 aurea & argentea vasa iis reddita fuerint. *Ezr.* 1. quum qui aurea det, aerea non videatur velle recusare: & sunt qui has columnas innui credant nomine duorum vasorum (in apocrypho *lib.* 111. *Ezr.* c. 8: 58. extat *duodecim*) ex aere praestantissimo. *Ezr.* 8. 27. quod tamen minus probabile est.

§. VI. Sanctum.

VI. Sanctum הֵיכַל, τὰ ἁγία, cujus porta duabus valvis ligneis auro obductis
con-

constabat, longum erat 40 cubitos. 1 *Reg.* 6. 17. latum viginti, quoniam utrumque conclave, Sanctum scilicet & Sanctum Sanctorum, quae in longitudine 60 cubitos occupabant, ejusdem latitudinis fuisse scilicet 20 cubitorum 1 *Reg.* 6. 2. Altitudo vero videtur eadem fuisse cum altitudine Sancti Sanctorum, quod longum fuit latum ac altum 20 cubitos 1 *Reg.* 6. 20. ut ita & Sanctum & Sanctum Sanctorum respectu triplicis dimensionis suae eandem proportionem habuerint in Templo hoc primo, quam in Tabernaculo, licet ibi dimidia parte minora fuerint haec conclavia, quod aedi portatili magis conveniebat.

VII. Quum tamen domus Sanctum & Sanctum Sanctorum complexa altitudinem habuisse 30 cubitorum legatur 1 *Reg.* 6: 2. difficulter videtur concilianda illa cum altitudine Sancti Sanctorum 20 cubitorum 1 *Reg.* 6: 20. & altitudine Sancto juxta eandem mensuram a nobis attributa: ad cuius nodi solutionem nihil putamus melius adferri posse quam si statuamus parietes quidem quibus utrumque conclave continebatur, altos modo fuisse 20 cubitos, sed supra illos tectum sive laquear, superne

§. VII.
Laquear
ejus.

convexum ad altitudinem 10 cubitorum elatum fuisse, ita ut parietes & Sancti & Sancti Sanctorum a solo usque ad tectum, sive illum locum unde hoc laquear inflecti cepit, alti fuerint 20 cubitos, & aedes ipsa, quo nomine & parietes & tectum comprehenduntur, 30 cubitos. Confer 1 Reg. 6: 15. ubi parietes aedis קירות הבית alleribus cedrinis dicitur texisse מקרקע הבית עד קירות הספן a solo aedis usque ad parietes laquearis, ubi manifesto parietes aedis a parietibus laquearis, id est, lateribus convexis laquearis distinguuntur, quum si tectum planum fuisset, illi minus apte קירות parietes adscribi posse videantur. Adde 1 Reg. 6: 9. ubi de Salomone dicitur יספן את הבית נבים ושדרות בארוים *Texit domum laquearibus & ordinibus cedrinis;* ubi laquearia convexa intelligi, lingua Germanorum & nostra לים"הם *hemelen*, a Judaeis jam observatum fuit. Eleganter ibidem Graeci ἐκοιλοσάθησε φατνώμασι.

§. VIII.
Vasa Sancti.

VIII. In Sancto fuere Lychnuchi decem aurei 2 Chron. 4:7. & 20. quorum quinque ad dextram quinque ad sinistram aedis collocavit, quibus nonnulli addunt Lychnuchum Mosaicum, de quo ta-
men

men Codex Sacer non loquitur, ad cuius latera hinc & inde collocatos fuisse Lychnuchos illos Salomonicos volunt. vid. *Gem. Hieros. Schekalim. 9: 4. Gem. Menachot. 98: 1.* quum tamen ἀπλῶς 5 ad dextram & 5 ad sinistram (scilicet aedis) dicantur collocatae *1 Reg. 7: 49. 2 Chron. 4: 9.* uti & de labris decem eadem phrasi dictum fuit *2 Chron. 4: 6.* quae *1 Reg. 7: 39.* explicatur per dextrum & sinistrum latus aedis. Confer *2 Chron. 23. 10. 2 Chron. 4: 10. & 3. 17.* An hi omnes accensi fuerint, quod videtur innui *2 Chron. 1: 20.* an vero unus tantum, disputatur. vid. *Gem. Menachot. 99: 1.* quamvis dici possit per vices modo hunc modo illum Lychnuchum accensum fuisse, sic ut כְּכַשְׁפֹּט secundum consuetudinem (confer *Ezr. 3: 4.*) unus modo Lychnuchus simul accensus fuerit. *2 Chron. 4: 20.* Quorsum enim Salomon jugum Mosaicum gravius reddidisset? Mensae fuere similiter decem, *1 Chron. 28: 16. 2 Chron. 4: 19.* de quibus eadem controversia est, an Mosaica iis adjecta fuerit, ubi collocatae sint, & an omnibus impositi fuerint panes sacri, quandoquidem *1 Reg. 16: 48.* tantum unius mensae, cui panes imponendi fuerint, mentio fit, & *2*

Chron. 5: 19. plurium: quia propter & hic credi possent panes modo huic modo illi mensae impositi fuisse, sicut semper Lych-nuchus ille qui e regione mensae esset quae panes illa hebdomade haberet, per eam hebdomadem noctu luceret. Sub Hiz-kiae regno non nisi una mensa memora-tur 2 *Chron.* 29: 18. Denique fuit hic alta-re suffitius a Salomone confectum quod ma-le quadrigis fultum fuisse creditur ex 1 *Chron.* 28: 14, 18.

§. IX. S.
Sancto-
rum.

IX. Sanctum Sanctorum, דביר, & בית קדש הקדשים, a Sancto divisum erat muro ligneo, sed auro obducto, in quo ostium erat, cui velum praetendeba-tur, 2 *Chron.* 3: 14. quod ipsi vectes ar-cae foederis contingebant 1 *Reg.* 8: 8. sic ut ex veli protuberantia nata ex impressio-ne vectium, in ipso Sancto videri posset ubi arca esset constituta. Longum hoc erat, latum ac altum 20 cubitos, & su-perne tectum, uti ex antedictis probabiliter colligitur, laqueari ad altitudinem decem cubitorum surgente. De auro, quo ob-ductum erat, dicitur Salomonem illud im-misisse ברהיקות laminis quibusdam aureis ob longis, quae id continerent variis in locis. 1 *Reg.* 6: 21. quo facit vulgatus, affixit la-minas clavis aureis. X. De

X. De Sancto, uti & de Sancto San- §. X. De
 ctorum, quaeri solet, quomodo lux diur- fenestris
 na in haec loca penetraverit. Sunt qui fe- Sancti &
 nestras hic collocandas in parietibus esse S. S.
 existiment, & quidem τοξικὰς, quod in-
 star sagittarum angustum in aedes lumen
 immittant & intrinsecus dilatentur, uti lo-
 quitur Hieronymus ad *Ezech.* XL. pag. 985.
 Et facit pro iis quod הלוני fenestras aedi
 sacrae fecisse dicatur Salomon 1 *Reg.* 6: 4.
 Verum fecerit aedi fenestras, non inde
 efficitur in parietibus Sancti aut Sancti
 Sanctorum fuisse: potuerunt enim in fron-
 te Pronai locari. Verum per הלוני fe-
 nestrae proprie dictae non semper indican-
 tur, (late enim haec vox patet) & in his
 ipsis verbis eas non intelligendas esse col-
 ligitur ex iis quae adduntur, שקופים
 טמאים clausorum prospectuum, quae verba
 usum prospiciendi fenestris illis adimere
 videntur. Sic ut cavitatibus quadratis, fe-
 nestrarum ad instar, murum ornasse credi
 possit. Adde tres contignationes concla-
 vium aedem sacram proxime cingentium
 his fenestris nimium obesse, de quibus
 1 *Reg.* 6: 5. & tenebras majestati Numi-
 nis, quod se in iis habitaturum dixerat,
 & oeconomiae illorum temporum optime

convenire. vid. *Exod.* 3. 22: 14. 19: 19. 16. *I Reg.* 8: 11. atque ita majorem inter Templum & Tabernaculum convenientiam existere. Nec est quod quis in tenebris dicat cultum sacrum peragi non potuisse. Eodem enim modo ille in Templo peragi potuit, ac in Tabernaculo, in quo fenestrae nullae fuerunt.

§. XI. Conclavia superiora.

XI. Supra hanc aedem fuisse ὑπερώα quaedam, sive conclavia superiora, colligitur quidem aliquo modo ex proportione, quae inter Pronaon altum 120 cubitos, & aedem 30 cubitorum vel 36 aut 40 cubitorum, si vel maxime basis 6 & tectum 4 cubitorum fuisset, nulla esse videtur, & ex forma Templi secundi, sed clarius ex *1 Chron.* 28: 21. *2 Chron.* 3: 9. ubi diserte עליות, ὑπερώα, aedis memorantur: in quae illatum fuisse Judaei dicunt apparatus & vasa Tabernaculi Levitici, quae tamen alii volunt abscondita fuisse sub cavernis aedis sacrae, תחת מחלות של היכל quae si similiter 40 cubitos alta cum iis quae eo spectant, constituantur, eminuit frons Pronai supra tectum aedis 40 cubitos.

§. XII. Conclavia lateralialia.

XII. Extra parietem Aedis erant thalami quidam vel conclavia, nomine יציי dicta *1 Reg.* 6: 3. οἶκος βραχεῖς Josepho, quae qui-

quidem non immediate muro aedis conjungebantur *I Reg. 6: 6.* verum innitebantur *טוֹיִס מַגְרָעוֹת*, ipsum parietem aedis fulcientibus, quae quum ab imo ad summum constructae latiores essent in ima parte quam in summa, hinc quoque conclavia iis innixa in summa contignatione maximam habebant latitudinem 7 cubitorum, in media minorem scilicet 6, in ima 5 cubitorum. Altitudinem vero habebant 5 cubitorum. *I Reg. 6: 10.*

C A P. V I I I.

De Templo Secundo ejusque Spatiis exterioribus.

I. Templum Secundum, quod auspiciis §. I. Prae-
 Zorobabelis conditum fuit a Ju- stantia
 daeis ex Babylonia reversis, praestantius Templi se-
 fuit Templo primo. *Hagg. 2: 10.* Quae cundi.
 praestantia non collocanda est (1) in va-
 sorum sacrorum pretio & numero, quum
 hac parte primum fuerit excellentius, quod
 ex ipsa ratione temporum & confessione
 Judaeorum, generis alias in gloriam suam
 effusissimi, liquet in *Gem. Joma. 21: 2.*
 fatentium 5 res, arcam foederis, ignem
 coelestem, Urim & Thummim, (quod
 ad

ad usum oraculi attinet) Schecinam, & oleum sacrum in Templo secundo defuisse; nec (2) in externo ornatu, & altitudine aedis sacrae, quod in *Gem. Bava bathra* 3: 2. aliqui volunt, nec (3) longiori duratione, quo respectu praestantius dici Templum I scribunt ibid. & in *Gem. Hieros. Megilla* 72: 4. scilicet quod Templum I steterit 110 annos, II vero 120 aut (4) multitudine donariorum; sed verae Schecinae, Messiae nostri, praesentia, qui illud frequentavit, & eo stante ad salutem generis humani in mundum descendit.

§. II. Sanctitas.

II. Gradus varii Sanctitatis Templi in *Kelim*, cap. 1. *misn.* 8. ita recensentur. Mons Templi הר הבית sanctior erat Urbe, a quo excludebantur זבים, זבות, ויולדות, נדות, *mares fluxu seminis laborantes, faeminae fluxu sanguinis laborantes, menstruatae & puerperae.* Monte Templi Sanctius erat spatium antemurale, החיל, in quod nec Gentes nec polluti a mortuo introibant. Quamvis enim alias Hebraeorum sapientes decreverint Gentes similes esse per omnia דוים זבים sive maribus feminifluis, tamen respectu aditus ad loca sacra, majus privilegium habebant & ad mon-

montem Templi admittebantur. Atrium mulierum Sanctius illo erat, quod non intrabat טבול יום, qui & מעורב שמש dicitur, sive ille qui ab immunditie lotus ejus diei vesperam expectare debet, antequam ad sacra edenda admittatur. Confer Misnam *Tahoroth* Gemara carentem, 1. 3. Atrium Israelitarum illo erat Sanctius, quippe in quod nulli intrabant qui expiatione indigent, מחוסרי כפורים, de quibus vide *Keritut* 11. 1. *Zevachim* 11. 1. Tales erant 4, qui purificati quidem erant, sed quorum sacrificia nondum fuerant adducta, & prohibebantur de Sanctis comedere, 1. כי γονορρῦης, vel ut Josephus loquitur ὁ περὶ τὴν γονὴν ῥεόμενος mas fluxu seminis laborans (qui fluxus vitium est & ex mala corporis dispositione oritur, adeoque longe diversus ab emissione seminis sani. vide *Nidda* v. 3. *Midraschschir haschirim*. 26. 4.) 2. זבה, ἀιμορροσία faemina fluxu sanguinis laborans, qualis *Matth.* 9: 20. diversa omnino a נדה. vide *Nidda* x. 4. 3. ילדה puerpera. 4. מצרע, leprosus, cujus non nisi caput, manus dextra, & pes in id atrium immittebantur *Lev.* 14: 11, 14. Atrium Sacerdotum erat illo Sanctius, in quod

quod Israelitae nulli intrabant nisi ad
 1. Manuum impositionem. 2. Macta-
 tionem, & 3. Agitationem. Illo san-
 ctior erat locus inter Pronaon & alta-
 re, a quo arcebantur ebrii, vitiati &
capite denudati (aut, ut alii, coma in-
 decenter proluxa instructi) פרועי ראש.
 Aedes sacra erat eo sanctior, in quam
 nullus nisi manibus pedibusque lotis in-
 trabat. Sanctum vero Sanctorum erat,
 uti ipsum nomen indicat, Sanctissi-
 mum.

§. III. Si-
 tus & soli
 dispositio.

III. Situm fuit Templum in montis
 Moriae summo jugo, ubi area quadrata
 erat sustentata altissimo muro & fornici-
 bus. Totus quidem mons subtus erat forni-
 catus, *ob metum pollutionis a cadaveribus*
subjectis מפני קבר התהום, quia etiamsi
 mille cubiti pulveris supra cadaver existe-
 rent, nisi aër interjectus esset, pollueret
 homines supra stantes, uti sciscunt Judaei
 in *Para.* III. 3. Non tamen erat illa area
 Templi in aequo sita. Si quis per portam
 Susan intrasset, solo plano incedebat per
 montem Templi usque ad extremum היל
 sive spatium antemurale, & gradibus 12
 (quorum singulis erat altitudo & latitudo
 dimidii cubiti) adscendebat ad Atrium

mu-

mulierum. Hoc ubi emensus esset, 15 gradibus adscendebat in Atrium Israelis, & ex eo in Atrium Sacerdotum uno gradu cubitum alto, in quo suggestum erat trium graduum altitudinis semicubitalis. Inde ad Pronaon, ipsumque Templi solum 12 gradibus adscendebatur. Sic ut solum Templi 22 cubitis circiter altius esset solo montis ipsius ad portam extimam orientalem, nec illo tantum altius, si Judaeis credimus, sed omni terra Israëlitica. *Gem. Kidduschin. 69. 1. Gem. Zevachim. 54. 2. Gem. Sanhedrin. 87. 1.*

IV. Omne illud spatium, quod in §.IV. Summa

§.IV. Summa divisio spatiorum in monte Moria.

 monte Moria erat, & Aedem sacram undique cingebat, dividitur a Judaeis, Templum secundum describentibus, I. in הר הבית *Montem Templi*, sive spatium extimum ita dictum. II. הייל sive *spatium antemurale*, & III. העזרות *Atria*: quae cum tria fuerint, *atrium mulierum, Israelitarum, & sacerdotum*, mulierum quidem atrium aequè ac mons Templi & spatium antemurale habetur pro הייל sive *loco minus Sancto*. Sed atrium magnum, עזרה קטנה κατ' ἐξοχήν, quod complectitur atrium Israelitarum & Sacerdotum, habetur pro *loco Sancto*, קדש. Hoc nempe loco quic-

quicquid intra vela Tabernaculi, vel intra murum Templi, in loco Sancto, jubetur a Sacerdotibus comedi, comedendum fuit.

§. V. Mons Templi.

V. *Mons Templi*, הַר הַבַּיִת, ὄρος τῆς ἱερῆς I *Macc.* 13: 53. ἡ δὲ τῆς ἑξωθεν ἱερῆς, appellatur spatium extimum quod in monte Moria erat praeter הַיָּל & atria: videtur que εὐρύχωρον τῆς ἱερῆς dici, ubi populus congregatus fuisse legitur וַיֵּלֶךְ E^zr. 9: 6. quod factum בְּרַחוֹב בַּיִת אֱלֹהִים E^zr. 10: 9. Longum erat quingentos cubitos totidemque latum, (quolibet cubito 6 palmos, palmo 4 digitos complexo) in quod intrare cum baculo, calceis, zona pecuniaria, pulvere pedibus adhaerente, aut per id viae compendium facere, vel sputo illud conspurcare, non licebat, uti in *Be-racoth.* ix. 5. *Gem. Fevamoth.* 6. 2. & *Midrasch Coheleth* 100. 1. traditur. Confer *Matth.* 10. 9, 10. ubi, mutata per Messiae adventum rerum facie, reverentia, ante monti Templi debita, toti terrae Israeliticae communis redditur. Maximum ejus spatium ab austro, proximum magnitudine ab oriente, dein ab aquilone, minimum ab occidente fuisse scribitur, in *Middoth.* 11. 1.

Hic

VI. Hic fuerunt διπλαῖ 50αῖ, porticus duplex, כפול, *Gem. Pesachim. 52.* fuerint in monte Templi.
 2. cuius & Siracides meminit *cap. 50: 2.*
 אֵיטבָּנָא appellari videtur in *Succa. 1v.*
 4. Nec alibi quam in aliqua parte hujus videtur quaerenda porticus Salomonis, ubi Jesus ambulasse, claudus coram populo Deum laudasse, & apostoli una fuisse leguntur *Joh. 10: 23. Act. 3: 11. & 5: 12.*
 Videtur hic quoque quaerendum πτερύγιον τῆς ἱερῆς, unde Diabolus volebat Christum se praecipitem dare *Matth. 4: 5.* stupendam enim fuisse profunditatem vallis, huic monti adsitae, ut si quis desuper in eam prospiceret, oculi caligarent, testis est Josephus. Erat hic quoque בֵּית הַכְּנֶסֶת *Synagoga*, in qua probabile est Christum consedisse in medio doctorum *Luc. 2: 46.* & confessus 23 iudicum, & חֲנוּת five *conclavia* (est a Persico خانة) in quae Synedrium magnum relicto conclavi Gazith, 40 annis ante excidium Templi, migravit. Hic quoque pecudes sacrificiis aptae vendebantur. *Gem. Hieros. Fom tof. 61. 3. Gem. Hier. Chagiga. 78. 1.* Memorantur & in monte Templi מעלות האולם supra quos considerare solebant. *Gem. Hier. Maaser Scheni. 56. 3.* Hic quo-

F

quo-

quoque conclavia erant, ubi Levitae cibum capiebant & dormiebant, quum non ministrarent aut excubias agerent. Victimae etiam minus sanctae & temeratae (פסולי קדשים קלים) hic comburebantur לפני הבירה, uti Judaei loqui solent. vid. *Pesachim*. VII. 8. *Gem. Beracoth*. 49. 2. Alios praeterea mons Templi in festis usus habebat, de quibus infra dicetur.

§. VII.
Portae
ejus.

VII. Portae in ambitu ejus fuerunt quinque, ad quas Levitae noctu excubias agebant. (1) Porta Susan; quam nonnulli volunt שער המורה portam orientalem dici *Beracoth*. IX. 5. *Orla*. 11. 12. *Taanith*. 11. 5. quamque alii ab urbe Susan (cujus imaginem praeferebat, ad indicium dominationis Persarum, vel liberationis Judaeorum intercessione Estherae in urbe Susan) alii a laetitia, (unde & Ὠραίαν quasi *laetam* vel *amoenam* dictam putant *Act.* 3: 2. quod *Cant.* 1: 15. נעים per Ὠραϊός reddatur) nonnulli a vicina porta equorum ita dictam volunt. Supra hanc erat conclave dictum שושן הבירה, in quo mensurae duae cubitorum servabantur. *Kelim*. XVII. 1. 9. altera in angulo orientali septentrionali, altera in orientali australi.

strali. *Gem. Pefachim. 86. 1. (2) & (3)* portae *Chuldae* ab Austro, de qua traditum est eam nunquam destruendam in *Midrashschir hasschirim. 17. 3. (4.)* *Kiponus* vel *Coponii*, ab occidente, (5.) *Teri* ab aquilone. *Τῆρος* nomen proprium viri fuit, uti porta quarta a Coponio dicta est. vide *Suidam* ad voces *Διονύσιος Ἀλεξανδρεὺς. Middoth. 1. 3.*

VIII. Inter montem Templi & atrium mulierum, erat *לִּיָּה* sive *προτείχισμα*, *Spatium Antemurale*, longum 10 cubitos, disjunctum a monte aedis septo cancellato *(סורג)* alto 10 palmos. *Josephus lib. vi. de bell. cap. 6.* videtur hoc septum appellare *δρύφακτον λίθινον*, & fuisse tres cubitos altum scribit, columnisque ejus inscriptum *μη̄ δεῖν ἀλλύφολον ἐντὸς τῆς ἀγίας παριέναι*, ut Gentes arcerentur a *δευτέρω ἱερῶ* quod *αγιον* appellari tradit. In hoc spatio fuit *לְהַגְדוֹל שְׂדֵרָה* *Collegium*, vel ut alii, *Auditorium magnum*, in quo *Judices Sabbathis & festis diebus* confidebant, qui alias in conclavi *Gazith* sedere consueverant, uti in *Gem. Sanhedrin. 88. 2.* traditur, propterea quod magnus illis diebus populi concursus, & spatum conclavis *Gazith* nimis esset angustum. Sunt

§. VIII.
Spatium
Antemu-
rale.

autem, qui illud in **הר הבית** collocent. In hoc quoque una porta conclavis dicti **מוקד בית מוקד** ducebat. *Middoth.* 1. 7. quod conclave quoniam ad latus atrii Sacerdotum fuit, hoc **היל** quoque non solum ad orientem atrii mulierum collocandum est, sed omnia atria cinxisse dici debet: quo etiam facit quod porta una conclavis Gazith in **היל** prospexerit, uti & una conclavis *Nitzotz.* *Middoth.* 1. 5. De Velo polluto in **היל** expandendo vide *Mass. Schekalim.* VIII. 4. & de caterva stantium in **היל**, tempore Paschatis, *Pesachim.* V. 10.

§. IX. Atrium Gentium nullum fuit.

IX. A spatio antemurali tendebatur ad Atria. Sunt qui inter illa primo loco numerent atrium Gentium. Quamvis autem in Templo Secundo, quum Judaei magis permixti essent Gentibus, & cum venia earum Templum ipsum condidissent, majori cum veri specie quam in Templo primo Atrium Gentium a nonnullis statuatur, non videtur tamen illud ibi fuisse. Judaei quidem nonnisi tria *Atria*, **עזרות**, mulierum, Israelitarum, & sacerdotum statuunt. In nullum vero horum trium Gentibus intrare unquam licuit, quin ne ad **היל**

הַיֵּל quidem sive spatium antemurale ad-
mittebantur, nec ulterius progredi quam
spatium extimum הַר הַבַּיִת dictum iis li-
cebat *Kelim.* 1. 8. Hoc autem spatium,
sive montem Templi, si quis *Atrium* &
quidem *Gentium* appellare velit, aliam vo-
ci עֲזָרָה sive *Atrii* significationem tribuit,
quam Judaei veteres; & spatia, quae ipsi
accurate distinguunt, confundit, quum
spatium הַר הַבַּיִת dictum ab iis semper
opponatur Atriis Templi, הָעֲזָרוֹת. Vi-
de *Massechet Para.* 111. 3. *Nedarim.* v. 5.
Biccurim. 111. 4. *Kelim.* 1. 9. *Echa Rab-*
bati 53. 4. & 57. 1. & 72. 4. & 83. 4.
Midrasch Coheleth. 98. 1. & 115. 3. Tan-
tum abest hoc reliquis Atriis uti quartum
superaddi debere. Quod si fiat, quivis
ad arbitrium plura atria Templo potest
tribuere: nam הַיֵּל dici poterit atrium
טְבוּלֵי יוֹם, quia his non ulterius, quam
in hoc, progredi licuit; & הַר הַבַּיִת
atrium pollutorum a mortuis, aequè ac
atrium Gentium.

X. Nonnullis quoque haud placet §. X. Con-
dispositio Atriorum in Templo secundo, ^{jectura}
uti illa in Codice Middoth fuisse traditur, ^{quorun-}
maxime quum Scriptores Judaei inter se Atriorum ^{dam de situ}
non conveniant de situ portae Nicanoris Templi II,

(quam alii secundum veterem traditionem Judaeorum inter atrium mulierum & Israelitarum, alii inter spatium antemurale & atrium mulierum collocant) quumque Atrium Israelitarum, quod maximum esse oporteret, exiguo satis spatio undecim cubitorum in latitudine & 135 in longitudine ab iis definiatur; & Atrium mulierum magnum nimis fingatur, scilicet longum 135 cubitos & totidem latum, respectu exigui usus quem habere potuit; & idem podio ornatur, unde mulieres prospicerent. Adeoque existimant, licet a Judaeis recedant (quos certo non scire plurima ad Templi descriptionem spectantia diversae in quas abeunt sententiae saepe ostendunt) se non male consulere proportioni totius aedificii & naturae rei, si statuunt, tria quidem atria, sive spatia distincta, fuisse, sed non intermedio muro qui conspectum aedis Sacrae & altaris impediret, divisa, & Portam Nicanoris ad orientem magni hujus atrii, cujus spatium extremum ad orientem atrium mulierum appellatur, collocandam. Atque ita quidem, uti in Templo primo, ita in secundo Atria duo proprie concipienda essent. I. Interius sive Sacerdotum. II. Exterius,

terius, sive populi, in quo duplex spatium, alterum mulieribus, alterum viris destinatum est. Sic quoque usus, & aliqua necessitas, illius *podii* sive צוצטרה, constructi ad tria latera atrii, e quo mulieres superne prospiciebant in atrium Israelitarum & Sacerdotum, intelligitur, & spatium, quod populus occupabat quum sacris adesset, plurimum ampliatur. Verum si hoc modo atria concipiantur, fatendum est, Talmudicorum descriptionem cum iis nulla ratione convenire, quostamen nos hic sequi constituimus.

XI. Atrium mulierum, עזרת נשים, §. XI. Atrii mulierum magnitudo & conclavia.
 uti illud a Doctoribus Hebraeorum describitur in Templo Secundo, longum erat cubitos 135, totidemque latum. In quatuor angulis hujus atrii erant quatuor conclavia, quibus longitudo ab oriente ad occidentem 40, latitudo quoque 40 (ab aliis 30) cubitorum tribuitur. Superne tecta non erant ex omni parte, sed spatium aliquod aëri expositum continebant. A dextra, si quis Atrium perambularet, erat I. Conclave lignorum, לשכת דיר העצים vel דיר העצים *Eduioth.* v. 11. 5. ubi illa quae cariem contraxerant, a Sacerdotibus, ad ministerium altaris ineptis,

separabantur. Sub hoc conclavi arcam foederis absconditam fuisse vetus est traditio. *Schekalim*. vi. 1. 2. *Gem. Foma*. 54. 1. & *Gem. Hier. Schekalim*. 49. 3. II. Conclave leproforum, לשכת המצורעים, in quo se abluiebant leprosi antequam ad portam Nicanoris tenderent. *Negaim*. xiv. 8. III. Conclave vini & olei libaminis. לשכת בית שמניא IV. Conclave Naziraeorum, לשכת הנזירים, ubi coquebant sacrificia eorum Eucharistica, & capilli tondebantur. Erant praeterea duo conclavia Atrio quidem Israelis subiecta, sed quorum introitus erat in Atrio mulierum, in quo instrumenta Musica Levitarum servabantur. In hoc Atrio Rex singulo septennio Legem populo praelegebat, & festum Tabernaculorum celebrabatur magna cum laetitia. Erat illic quoque Podium exstructum, a latere Orientali, Australi, & Septentrionali, e quo mulieres prospiciebant. Hoc צוֹטְרָה appellatur in *Gem. Hieros. Succa* 55. 2. quam vocem cum ζῶσρα, quae ζῶναι sunt & ἐνδύματα, eandem multi putant. Sed videtur potius esse Graecorum ἔξωσρα, id est, τῆς σκηνῆς ἐκκύκλωμα apud Hesychium. Glossae veteres Ἐξωσρα Moe-

niamura

nianum reddunt : quo faciunt haec Hieronymi ad *Ezechiel.* 41. 'Εκθεταις Romae appellant solaria de coenaculorum parietibus eminentia, sive Meniana ab eo qui primus ea invenit, quae nonnulli Graecorum ἐξώσπας vocant.

XII. Erant in Atrio mulierum collocatae §. XII. Cistae tredecim cistae pecuniis excipiendis destinatae, quae trapezitas collybo inhiantes alliciebant, a forma שופרות appellatae: quarum duae priores semisiclos Israelitarum solvendo quotannis (*Exod.* 30: 13.) tum labentis tum proxime elapsi anni comprehendebant. Officii hujus admonebantur Israelitae primo die mensis Adar quando per praeconem solutio semisicli & evulsio heterogeneorum ex agris praecipiebatur. *Schekalim.* 1. 1. Die autem 15 Adar, mensae ad siclos recipiendos per universam terram collocabantur, & die 25 in Templo. Tertiae inscriptum erat קנין, in quam pecuniam conjiciebat qui turtures offerre debuit, unum in holocaustum, alterum in sacrificium piaculare. Ita puerpera aut ἀμωρροῦσα, mundata quidem, sed כפרה מחוסרה כפרה expiatione indigens (vide supra p. 77.) injecta in hanc cistam pecunia

F 5

qua

qua turtures emi possunt, vespera illius diei sacris tuto vescitur, ac si ipsa vidisset turtures suos offerri; quoniam sacerdotes quotidie hanc cistam evacuabant, & tot turtures offerebant, quot offerri debuissent ex pretio illic contento apparebat. Quarta, inscripta גוּלֵי עוֹלָה, notabat *pullos columbarum holocausto* destinatos. Quinta, עֲצִים nummos continebat ad emenda ligna in usum altaris. Sexta לְבוֹנָה, *thas*. Septima, זָהָב לְכַפּוֹרֶת, *aurum ad conficiendas pelves & vasa ministerii*, (כַּפְרֵי זָהָב 1 Chron. 28: 17,) ita dicta aut ab expiatione, cui destinatum sanguinem victimarum continebant, aut quod ad eorum oras digitos suos Sacerdotes abstergerent: vel, ut alii, ad reficiendas laminas aureas Sancti Sanctorum, quod בֵּית הַכַּפָּרֶת dicitur, sive רִיקוּעֵי זָהָב צְפוּי לְבִקְק'ק' uti legitur in *Gem. Cetuvoth. 107. 1. & Gem. Temura. 130. 2.* Reliquae sex erant secundum numerum 6 animalium sacrificii aptorum, פֶּר, עֵגֶל, שְׁעִיר, אֵיל, טֵלָה, גְּדִי, vel, 6 familiarum sacerdotalium, uti in *Gem. Hier. Schekalim. 11. 1. & Gem. Menach. 107. 2.* legitur, & complectebantur pecuniam נְדָבָה oblationum votarum: & si quis certam pecuniae summam

mam

nam destinasset sacrificio piaculari & hoc coëmto, residuum aliquod mansisset, cistae octavae indebat. Nona capiebat residuum sacrificii pro delicto. Decima, avium pro maribus seminifluis, faeminis sanguinifluis, & puerperis oblatarum. Undecima, oblationum Naziraei. Duodecima leprosi. Decima tertia residuum oblationum voluntariarum generatim. Ex pecunia ultimarum 6 holocausta parabantur. *Schekalim. vi. 5. Gem. Foma. 55. 2.*

XIII. Hae autem non videntur in una serie ita dispositae fuisse uti in Codice Misnico modo laudato recensentur; sed vel in circuitu, ut ultima cista oblationum votarum & prima Siclorum sibi proximae fuerint, vel ita ut series inceperit ab cistis sex oblationum votarum, **הבבב**, & dein contiguae iis cistae siclorum fuerint, & his, turturum, columbarum, ligni, atque ita porro: quia *ibid. §. 7.* disputatur de pecunia inter cistam oblationis votae & siclorum, ad quam pertineat, uti de pecunia inter cistam ligni & thuris reperta.

§. XIII.
Quo ordine collocatae.

XIV. Videtur etiam in aliquo latere atrii mulierum collocandum **Γαζοφυλάκιον**, e cujus regione Christus sedisse legitur

§. XIV.
Gazophylacium: & usus pecu.

gitur

mae ter
quotannis
inde edu-
ctae.

gitur *Marc.* 12: 41. Sedere autem in atrio magno nulli licuit, nisi Regibus e stirpe Davidis & Sacerdotibus dum cibos sacros in loco Sancto consumendos ederent. In Talmude לשכה κατ' ἐξοχὴν appellatur conclave, in quo sicuti omnes recondebantur in usus sacros. Ter in anno, 15 diebus ante tria festa majora, tres cistae sicuti repletae inde educebantur, & haec pecunia תרומת שקלים & תרומת הלשכה dicitur. Hinc emebantur sacrificia jugia, addititia, & libamina eorum, manipulus Paschalis, duo panes Pentecostales, panes facierum & sacrificia publica coetus. Solvebatur etiam hinc merces iis, qui anno Sabbathico sponte nata custodiebant שוטרי ספיתים, ut esset unde manipulus Paschalis & panes Pentecostales fierent, qui ex proventu novo esse debuerunt. *Schekalim.* 1v. 1. Hinc etiam vacca rufa emi debuit & lingua coccinea in ignem ejus injicienda, & hircus azazel: hinc mercedem percipiebant qui in vitia rerum sacratarum inquirerent מבקרי מומי קדשים & mulieres in texendis velis occupatae. *Midrasch schir hasschirim* 22. 1. alii tamen his ex לשכת ברק הבית mercedem solutam existimant: familia quo-

quoque Garmu & Abtines, correctores librorum, & qui docebant sacerdotes ritum maclationis & suffitus, hinc mercedem suam percepisse dicuntur *Gem. Cetuvoth. 106. 1.* Si quid autem pecuniae post primum diem mensis Nisan (qui erat initium anni לתרומת שקלים, sicut eo die primum sacrificia aere siclorum illius anni emta offerrentur, nec postea sacrificia publica liceret ex siclis anni praeteriti offerre) superesset in his tribus cistis, ter in anno eductis, illud מותר התרומה dicitur, vel ad vasa ministerii vel ad reficiendum Sanctum Sanctorum fertur fuisse adhibitum.

XV. Aes, quod in Gazophylacio erat, §. XV. eductis tribus illis cistis, appellatur שירי Usus pecuniae quae in eo supererat. הלשכה. Hinc apparatus viae sive pontis ad deducendam vaccam rufam extra urbem, & hircum azazel, & lingua coccinea inter cornua ejus figenda, & canales atrii, & muri urbis ac turres reparabantur. *Gem. Cetuvoth. 106. 2.* Quod autem ex illa quoque pecunia supererat, מותר שירי הלשכה nuncupatur, & inde vinum, oleum & similia emebant ad ferta & libamina, quae privatis hominibus vendebantur, ita ut lucrum cederet aerario sacro.

XVI. Ad

§. XVI.
Num hic
fuerit Con-
clave si-
lentum &
vasorum.

XVI. Ad hoc Atrium quidam referunt Conclavia duo, quorum fit mentio in *Schekalim* v. 5. alterum לשכת השאים *conclave silentum*, in quod viri pii clam eleemosynas suas conferebant, alterum לשכת הכלים *conclave vasorum*, in quo vasa ab aliis consecrata erant, quae servabantur ad varios usus, aut pretium eorum inferebatur לשכת קרבנות בודק הבית *conclavi munerum restorationi Templi destinatorum*: quem in finem semel quolibet mense גזברין *conclave vasorum* ingrediebantur, & vasa ministerio apta serbant, at inepta vendebant, de quibus vide in *Temura* i. 6. & *vii.* i. 2. *Eracin.* *viii.* 6. *Schekalim.* v. 6. Videntur tamen haec conclavia ad Atrium Israelitarum aut Sacerdotum potius pertinuisse, quum ex conclavi vasorum quotidie vasa ministerii peterentur.

C A P. I X.

De Spatiis Templi II. interioribus, sive Atrio magno, & quae illo continentur.

§. I. Ad-
scensus ex
atrio mu-

I. **P**ER quindecim gradus formae semilunaris, & altitudinis semicubitalis,

lis, adscendebatur ex Atrio mulierum ad Atrium magnum *Succa* v. 4. *Middoth.* Ab his 15 gradibus dictos esse multi putant Psalmos quindecim *המעלות*, *ἀναβάθμων*, quos Latini *gradiles* nuncuparent. Sed hic locus, utpote in *החול*, & extra atrium magnum, locum sanctum cultui divino & congregationi populi destinatum, minus aptus videtur fuisse canendis hymnis, & nomen *המעלות* *ἀναβάθμων* adeo late patet, ut multi ad *ἀναβάσεις καρδίας*, vel *ἀνάβασις* populi ex Babylonia, alii alio id referendum esse autumarint.

II. Atrium magnum voco Spatium §. II. Atrii omne quod a porta Nicanoris, & muro quem illa pervium faciebat, se extendit occidentem versus usque ad murum oppositum, undecim cubitis distantem a postica parte aedis sacrae, sic ut longitudo atrii magni fuerit ab oriente versus occidentem cubitorum 187, latitudo ab austro versus septentrionem cubitorum 135. *Gem. Zevachim* 56. 1. *Gem. Hier. Maaser Scheni.* 54. 2. Hoc atrium magnum Hebraei, non adjecta alia voce, *Atrium*, sive *עזרה* appellare solent, & spatium *intra murum*, quia atrium mulierum postea demum

Tea-

Templo fuit adjectum. Distinguitur hoc atrium magnum in partes duas, quarum una, scilicet orientalis, dicitur atrium Israelitarum, altera atrium Sacerdotum.

§. III.
Atrium
Israelita-
rum.

III. Atrium Israelitarum, in quod ex atrio mulierum introitus erat per portam Nicanoris, longum erat, ab ortu versus occasum, cubitos undecim, latum ab austro versus septentrionem, centum triginta & quinque. Distinctum erat ab Atrio Sacerdotum uno gradu cubitum alto, qui tamen in loco adscensus in duos gradus videtur fuisse divisus, in quo erat سكان דוכן *suggestum*, ubi Levitae canebant, (distinguendum omnino a דוכן Sacerdotum in gradibus Pronai) graduum trium semicubitalium, sic ut solum Atrii Sacerdotum cubitis duobus & dimidio altius esset Atrio Israelitarum. Vox דוכן Persica est, & Arabica, notans *locum in quo artifices opus suum peragunt, officinam, sedile*: licet in eo starent, non sederent, Levitæ. 2 Chron. 5:12. Videtur hic locus, qui adscensum praebebat ex atrio Israelitarum ad Atrium Sacerdotum κρηπίς dici 2 Macc. 10:26. ubi hi qui cum Juda erant, precaturi dicuntur ἐπὶ τὴν ἀπέναντι τῆς θυσιάστηρος κρηπίδα προ-

σπε-

σπερόντες, & locus cantorum erat κατέ-
ναντι τῆ θυσιαστηρίᾳ. *Jes. Sirach. 47: 11.* Ita
in Circo suggestum medium, circa quod
quadrigae ferebantur, κρηπίς dicitur.

IV. Portae in Atrio Magno tredecim §. IV. Por-
recensentur. 1. Nicanoris, adorintem. Haec tae Atrii
magni.
nomen adepta creditur a miraculo, quum
Nicanor valvas ejus per mare ex Aegypto
in terram sanctam deferret. *Gem. Foma.*
38: 1. & *Gem. Hier. Foma. 41: 1.* quam-
vis forsitan a manu Nicanoris (cujus men-
tio quoque fit in *Gem. Hier. Megilla. 70:*
3.) hic suspensa κατέναντι τῆ Ναῶς esse
dicta potuerit *2 Mac. 15: 33.* Haec por-
ta alta erat cubitos 20 & lata 10, uti om-
nes portae majores Atriorum, *Eruvin. 1: 1.*
solaque habebat Mezuzam. *Gem. Foma.*
11: 1. In hac porta leprosi & puerperae
mundari, ac mulieres adulterii suspectae
potari solebant. *Sota. 1: 5.* Denique quae-
cunque *coram facie Dei* לַפְּנֵי יְיָ peragen-
da fuisse jubentur, in vel ante portam Ni-
canoris peragi debuisse in Templo, tra-
dunt Judaei *Gem. Hier. Sota. 17: 1.* Ad
meridiem erant portae quatuor, qua-
rum prima est Superior, quam multi pro
eadem habent cum porta Nicanoris. Vide
Succa. v. 4. 11. Ardoris. 111. Primogenito-
rum.

rum. iv. Aquae. Ad boream, 1. Jechoniae. 11. Oblationis. 111. Mulierum iv. Cantici. Ad occasum duae anonymae, & ad utrumque latus portae Nicanoris, duae minores 12. 13. Vide *Massechet Schekalim*. vi. 3. & *Middoth* 11. 6. In *Middoth* autem cap. 1. m. 4. *Gem. Foma*. 19. 1. *Gem. Cetuvoth*. 106. portae Atrii magni septem fuisse traduntur. In oriente. 1. Nicanoris. Ad meridiem, 2. Porta ardoris, 3. Primogenitorum. 4. Aquarum. supra quam erat conclave Abtines. Ad Septentrionem. 5. Porta Nitzots, juxta vel supra quam erat conclave Nitzots. 6. Oblationis. 7. Domus foci. In *Gem. Tamid*. 61: 1. octo Atrii portae fuisse leguntur, quod porta domus foci duplex fuerit. Occidentales nullae memorantur, & eas fuisse negat quoque Josephus.

V. Praeterea conclavia erant, dicta §. V. Conclavia co-
 mestioni
 Sacrorum
 destinata. לשכות & πασοφώρια, *Macc.* 4: 57. in Atrio magno, in quibus Sacerdotes sedentes (alias enim in Atrio sedere non licebat) (אין, שיבה בעזרה אלא בשעת אכילה) sanctissima comedebant Confer *Ezech.* 42: 13. At sunt qui putent conclavia ipsa in solo loci profani condita fuisse, sed aperta versus Atrium magnum, (לשכות בנרות בחול

(כְּדָשׁ) & hoc modo fatis fieri mandato Dei jubentis Sacra quaedam comedere in loco Sancto. Vide *Gem. Zevachim*. 56:1. Ceterum sellas plumbeas sacerdotibus sedentibus attribuit Josephus.

VI. Conclavia hic porro numerantur §.VI. Con- octo, in *Middoth*. v. 2. quamvis & clavia re- *בית האבן* in angulo Euroaquilonari, & liqua. alia praeter haec in Talmude commemorantur.

Ad Septentrionem.

1. Conclave Salis, ad usum altaris.
2. Conclave Parvae, ubi pelles victimarum sale condiebantur. *پرواي Parva*, Persis est *conditum*, *saginarum*, & *salire* dicunt *پرو ووردن* & inde *לשנת בית הפרוה* nuncupatur, non *לשנת הפרוה* ut hic usus indicetur. *Gem. Pesachim* 57:1.
3. Lavantium, ubi victimarum intestina lavabantur. Vide *Tamid*. iv. 2.

Ad Austrum.

4. Ligni, in quo ligna selecta & apta ad usum altaris servabantur. Supra hoc erat conclave Parhedrin, sive *βηλευτῶν*. *Πάρεδρος* quum sit, interprete Hesychio, *παρακαθήμενος*, *παραμένων*, & in conclavi Parhedrin constet Pontificem

continenti septiduo ante diem expiationis agere consuevisse, ipsique adfederint membra quaedam Synedrui זקני בית דין ut eum ritus festi secuturi docerent, hinc apte nomen *Paredrin* ei datum fuit. Vide *Foma* 1: 1. Nomen autem *buleutarum*, (ut voce Spartianitar) eosdem illos notare potest *Senatores*, aut consiliarios. Judaei ipsi in *Echa rabati*. 75: 2. βουλευτὰς בליוטין explicant העשירים והכמי עצה divites & sapientes, quales erant Nicodemus Ben Gorion, &c. Vide *Midrasch Coheleth*. 107: 4. *Gem. Hier. Taanith*. 67: 4.

5. Putei, בור הגולה unde aquam ad usum Atrii hauriebant situlam ope rotae extrahentes. Ex quo solo puteo, ut & בור הגדול, puteo magno, permisisse Prophetae dicuntur, ut per rotas diebus festis aquam haurirent. *Eruvin*. x. 14.
6. Gazith, sive caesi lapidis, structum a Simeone Ben Shetach, הנשיא, id est, Praefide Synedrui. Hoc conclave partim in Atrio, partim in חיל situm erat, confessu Synedrui Magni nobilitatum. *Gem. Foma*. 25: 1. adeoque totum in portione tribus Juda; nec collocandum, uti alii faciunt, ad septentrio-

trionem Atrii. *Gem. Zevachim. ii8: 2.*

Ad latera Portae Nicanoris.

7. Phineas vestiarii, in quo 96 erant distincta vestium Sacerdotalium reconditoria pro numero 24 ephemeriarum, & 4 specierum vestimentorum. Credibile est de nomine unius Phineasi omnes vestibus his praefectos Phineasos dictos esse, quod & Talmudici scribunt, & Josephus confirmat scribens Phineasum vestes Sacras Tito ostendisse. *De bell. vii. 5.*

8. Eorum qui duodecim *הביתין* crustula Pont. M. conficiebant. Ad hunc locum conveniebat utraque turba Sacerdotum, quae quotidie mane ex Beth Moked egressa Atrium hinc & inde lustraverat. *Tamid. 1: 3.*

VII. Ad Septentrionem Atrii Sacerdotum collocatur *בית מוקד* *domus foci*, §. VII. Et Beth Moked. ubi perpetuus ignis alebatur ad calefaciendos Sacerdotes, qui nudis pedibus incedebant supra solum Atriorum marmoreum, de quo vide *Middoth. i: 6. & Schabbath. i: 11.* & ubi Seniores familiae Sacerdotalis, quae proximo mane Sacris operari debuit, dormiebant, & claves Atrii servabant in lacuna sub pavimento suspensas. Sita erat partim in loco Sancto, partim profano,

(adeoque male collocatur a quibusdam ad latus Atrii mulierum septentrionale, quoniam ita nullo modo in loco Sancto fuisset) in cuius quatuor angulis quatuor erant conclavia. 1. Panum propositionis. 2. Lapidum altaris a Syris temerati, qui *1 Macc.* 4: 46. dicuntur repositi ἐν τῷ ὄρει τῆς οἴκας (בהר הבית) ἐν τόπῳ ἐπιτηδείῳ. *Gem. Foma.* 15: 1. 3. Quo in balneum descende-
batur. 4. Agnorum sacrificii jugis (quod & לשכת קרבן dicitur) ubi 6 agni legitimi ad minimum semper erant. *Eracin.* III. 5. Ita est in *Middoth.* 1. 6. sed in *Tamid.* III. 3. cum conclavi agnorum junguntur haec tria, I. החותמות Sigillo-
rum, II. בות מוקד domus foci. III. In quo parabant panem facierum. Verum haec facili negotio conciliari queunt, quandoquidem unum conclave duobus usibus inservire potuit, & inde duplex nomen sortiri.

§. VIII.
Altaris ma-
gnitudo.

VIII. Altare exterius, collocatum in Atrio, constructum erat ex lapidibus im-
politis *Exod.* 20: 25. *1 Macc.* 4: 44. qui quotannis bis dealbabantur, longum 32 cu-
bitos, totidem latum, & altum 10. In *Gem. Succa.* 45: 1. ita cubiti decem altitudinis digeruntur, ut fundamentum altaris cu-
bitum

bitum fuerit altum, & recessus ejus, sive latitudo, etiam cubitum: deinde supra fundamentum fuerint 5 cubiti, & supra hos circuitus latus unum cubitum. Denique supra circuitum tres cubiti, & locus cornuum qui cubiti quoque spatium occupabat. Notandum tamen omnes hos cubitos sex palmorum non fuisse, sed 1. Fundamentum habuisse cubitum palmorum 5 in altitudine sua ac latitudine. 2. Circuitum habuisse cubitum 5 palmorum in latitudine. 3. Cornua habuisse cubitum 5 palmorum in altitudine sola, non in longitudine ac latitudine. Hinc liquet altitudinem altaris fuisse palmorum 58.

Fundamentum altum erat 5 palmos. 5

Dein 5 cubiti sex palmorum faciunt palmos 30

Tum 3 cubiti sex palmorum efficiunt 18

Cornu 5

58

IX. Per clivum, sine gradibus, adscendebatur ad altare, qui ad meridiem ejus constitutus longus erat 32 cubitos (in ascensu nempe, nam in solo tantum 30 occupabatur). IX. Adscensus ad altare per clivos.

cupabat) latus 16, & exiguo intervallo (אֵוִיר מַעַט) ab altari sejunctus. In hoc erat ad occidentem cavitas ad recipienda sacra piacularia a ex avibus polluta. *Midloth.* 111: 1, 3. Spargebatur hic clivus sale ne pedibus Sacerdotum firmitas insistenti negaretur ob laevitatem soli a pluviis, pinguedine carnis destillante, aliisque causis. *Eruvin.* x: 4. Sacerdotes qui hunc clivum adscendebant ad dextram ibant; & postquam altare circumivissent ad sinistram redibant, exceptis tribus hisce, 1. Qui vinum libaret, 2. Qui aquam libaret. 3. Qui avem in holocaustum offerret, si ad orientem altaris locus vacuus non esset. Hi enim recta ad sinistrum latus altaris, harum rerum peragendarum causa, tendebant, eademque via redibant. *Zevachim.* vi. 3. *Gem. Succa* 48. 2. Solus Pontifex M. vinum libaturus altare a dextra circuibat usque ad angulum altaris noto zephyrinum, & illic porrectum a sacerdote vinum effundebat. *Tamid.* vii. 3. In hoc clivo erat cumulus salis publici, quo omnia altari admovenda adspargebantur praeter vinum libaminis, sanguinem & ligna. Ab hoc clivo tendebant hinc & inde duo clivi minores, כַּבְּשִׁים קַטְנִים, unus sc. occidentalis,

talís, per quem ex circuitu medio descen-
debant versus fundamentum effusuri reli-
quum sanguinem ad fundamentum, alter,
orientalis nempe, ad circuitum medium
ducens.

X. Planities erat in summo altaris 28
cubitorum, a quibus si cubiti spatium un-
dequaque tollas pro loco cornuum & alte-
rius cubiti spatium, pro loco ambulationis
Sacerdotum, (quem alii *ισόπεδος* cum
altaris planitie, alii depressiorem fuisse
volunt) remanebat spatium 24 cubitorum.
In hoc erant tres ignes, unus ad combustio-
nem victimarum & fertorum ad ortum,
alter ad adolendum suffitum ad austrum,
tertius perpetuus ad septentrionem, unde
reliqui incendi poterant (quod colligunt in
Gem. Foma. 45: 1. ex Lev. 6: 9, 10, 12. at
quidam duos focos, alii quatuor fuisse
dicunt. *Foma. IV. 6.*) & inter illos me-
dium, pomum cineris. *Cornua* hic quoque
erant quatuor non efficta ad similitudinem
taurinatorum, sed prominentiae altae cubi-
tum palmorum 5, & latae longaeque cu-
bitum palmorum 6, quadrata & intus ca-
va. Dein duo foramina heic fuerunt ad cor-
nu notozephyrinum, unum orientale ad
vinum libaminis, alterum occidentale ad

§. X. In
summo al-
taris quae
fuerint.

G 5

aquam

aquam in festo Tabernaculorum excipien-
dam quibus ספלים, *simpula* argentea
erant inserta. *Succa.* IV. 9. Vinum sacrum,
per illud in cavitatem subterraneam dela-
psum & ibidem concretum singulis 70 an-
nis a Sacerdotibus eximebatur & combu-
rebatur in loco Sancto. *Gem. Succa.* 49. 1.

§. XI. Fi-
lum ru-
brum Alta-
ris, meatus
fangui-
num, &
fundamen-
tum.

XI. Praeterea in altari spectanda sunt חוּט
שֶׁל סִיקָרָא sive *filum rubrum*, cingens
totum altare in medio, supra quod san-
guines sacrificiorum piacularium come-
dendorum & holocaustorum avium, at
infra quod sanguines reliquorum sacrifi-
ciorum, spargebantur. *Duo foramina* ad
angulum altaris notozephyrinum, quae ex-
cipiebant sanguinem ad basin effusum,
eumque per canalem subterraneum חֲדָה
(cujus mentio in *Temura.* VII. 6. & *Mid-
doth.* III. 2.) ad rivum Kedron trans mitte-
bant: *Foma.* V. 6. ita ut in foramen u-
num, quod erat ad occidentem, sanguis
qui in Sanctum illatus fuerat effunderetur,
in aliud vero quod ad meridiem, qui non
fuerat eo illatus. *Fundamentum*, יסוד,
altum cubitum unum, quod lateri orien-
tali & meridionali defuit, sic ut angulus
Euro-Australis eo caruerit. *Gem. Foma.*
14. 2. *Gem. Zevachim.* 54. 1.

XII.

XII. Ad ortum altaris, 3 palmis a clivo, & 10 cubitis remotus septentrionem versus ab infima parte clivi, erat Locus cinerum בית הרשן in quem quotidie cinis altaris exterioris, interioris, lychnuchi, & nonnulla ex avibus offerendis conjiciebantur. Praeterea ad septentrionem altaris erat sub dio בית מטבחייה, sive *Locus mactationis* sanctiorum victimarum, ubi sex erant ordines annulorum, vel uncorum, semi circularium, qui una sui parte solo erant affixi, altera ab eo retrahi, & comprehenso victimae capite affigi rursus poterant. Hos Johannes P. M. fieri jussit, quorum singuli ordines quatuor annulos complectebantur, ut ad illos constrictae victimae minori cum incommodo jugularentur. Dein octo mensae marmoreae ad excipiendas carnes victimarum, & intestina in conclavi lavantium jam lota; ac totidem columnae, trina uncorum serie instructae, e quibus suspensae hostiae excoriabantur. Praeter has erant mensae ad occidentem clivi altaris, una marmorea, *adipum* dicta, cui membra victimarum dissecta imponebantur; altera argentea, quae sustinebat vasa ministerii, aurea & argentea numero 93, vel, ut alii

§. XII. Loc-
cus cine-
rum, lanie-
na, &c.

83 ex לשכת הכלים *petita. Vide Massechet Schekalim. vi. 4. Tamid. 111. 4. Gem. Chagiga 79. 4.*

§. XIII.
Labrum.

XIII. Inter Pronaon & altare, in plaga australi (בין האולם ולמזבח ומשוך) erat Labrum sive כיוור *Gem. Hier. Fevamoth. 12: 3.* ad quod aqua ex fonte *Etam* עיטם ferebatur. Qui idem cum eo esse videtur, qui hodieque non longe a Bethlechem conspicitur, cujus aquae tribus capacibus piscinis exceptae per aquae ductum, cujus rudera adhuc supersunt, deferebantur Hierosolymas. Hoc nomine urbs memoratur *2 Chr. 11: 6. & Jos. 15: 60.* Ἐτάμ (sed in codicibus Graecis tantum: nam in Hebraeis totum illud comma non legitur) & apud Josephum *Ant. VIII: 2.* Ἡτταν, χώριον duobus schoenis distans Hierosolymis amoenum hortis & ναμάτων ἐπιρροίαις. Tempore quidem Pontificis Maximi Simonis filii Oniae Labrum ingens ex metallo structum esse instar Maris Salomonici, multi colligunt ex his verbis *Ecclesiast. Sirac. 50: 3.* Ἐν ἡμέραις αὐτῆς ἠλαττώθη ἀποδοχεῖον ὑδάτων, χαλκός, (alii legunt λάκκος) ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον. Sed haec diverso modo leguntur & variam explicationem

nem patiuntur. Vulgatus certe Interpres ita, *In diebus ipsius remanaverunt pueri aquarum & quasi mare adimpleti sunt supra modum.* Ubi nihil de Labro. Postea Ben Catin machinam ligneam Labro huic aptavit, ne aquae ejus noctu in Labro remanerent, ut ejus ope demitti vespera, & educi mane possent. Quicquid enim in vase sacro consecratum erat, si noctu in eo remaneret, pollui existimant Judaei. Vide *Tamid. 111: 8. Gem. Foma. 25. Gem. Zevachim. 21. 2.* & quum antea duo tantum epistomia Labro essent, ipse fecit duodecim, ut tot simul Sacerdotes lavarentur.

XIV. Haec omnia ita erant sita inter §. XIV.
Septentrionem & Austrum, ut a muro Situs ho-
Atrii Septentrionali usque ad columnas es- rum om-
set spatium cubitorum 8. nium.

Inde ad mensas marmoreas, 4. 4

Ad locum annulorum 4. 4

Annuli ipsi 24. cubitos occupabant. 24

Ab annulis ad altare 8. 8

Altare autem cum clivo erat 62. cu-
bitorum, quia clivus in solo tantum
30 cubitos occupabat. 62

Inde ad murum Atrii 25. 25

135
Vide

Vide *Middoth*. v. 1. Ab ortu autem ver-
sus occasum ita se habuit longitudo totius
Atrii magni in quo haec sita fuerunt,

A porta Nicanoris usque ad Atrium Sa- cerdotum, cubiti	11
Deinde usque ad Altare	11
Altare ipsum occupabat	32
Inter Altare & Pronaon	22
Aedes Sacra longa erat	100
Inde usque ad murum occident.	11

187

§. XV. Ae-
des Sacra,
ejusque no-
mina, &
altitudo.

XV. Ad Aedem Sacram tandem acce-
dimus, quo nomine augustam illam do-
mum intelligimus, ad quam ex Atrio Sa-
cerdotum adscendebatur gradibus 12, per
intervalla distinctis, & dimidium cubitum
altis. Tota haec Aedes aliquando **היכל**
dicitur, uti in *Middoth*. iv. 6. **היכל** erat
longum latum ac altum 100 cubitos. Quamvis
alias **היכל** Sanctum significet, uti in
Gem. Megilla 26: 1. vel Sanctum & San-
ctum Sanctorum, distinctum a Pronao.
Middoth. iii: 8. & iv. 7. thalami **תאים**
ab **היכל** distinguantur *Tamid*. iii: 7.
Frons alta fuit cubitos 60. *Ezr*. 6: 13. quae
& totius aedis altitudo fuit, cui altitudini
Herodes 60 alios adjecit, ut ita Templum
Sa-

Salomonico minus non esset, qui cum rectum reliquae aedis ad 100 cubitos altitudinis extulerit, eminuit haec frons 20 cubitos. Rex Agrippa aedis hujus altitudini alios quoque 20 cubitos addere constituerat jamque ligna ex Libano curaverat advehi, sed Johannes, unus e ducibus seditiosorum, illa turribus bellicis exstruendis adhibuit. Josephus de *Bell.* vi: 1.

11. V. X. 3
 11. V. X. 3
 11. V. X. 3
 11. V. X. 3
 11. V. X. 3

§. XVI.
 Aedis sacrae facies externa.

XVI. Lapidibus habebat λευκῶς, & eminens conspectum Templum monti niveo simile apparebat, teste Josepho *Ant.* xv. 4. & de *bell.* vi. 6. Sic ut hoc quoque respectu Templum לבנון Libanus ab albedine appellari potuerit, quamvis a copia cedrorum ex Libano petitarum ita imprimis dictum videatur, ut alter quasi Libanus esset in regione ubi maxima erat arborum penuria, vel etiam praecipua parte cultus sacri ibi peracta, expiatione scilicet peccatorum. quae dealbationi comparatur *Jes.* i: 11. Hoc nomen certe (quod in scriptis Prophetis Templo 1. datur) Templo huic secundo aptavit, quum apertas sponte fores aedis sacrae (דלתות של היכל) mane conspiceret R. Jochanan Ben Saccai (cujus prodigii Tacitus quoque & Josephus meminerunt) exclamans, pro-

pe

pe esse tempus excidii a Zacharia praedi-
ctum פתח לבנון דלתיך ותאכל אש
Zachar. 11: 1. Gem. Foma. 39: 2.

§. XVII.
Altitudo
Aedis, tem-
pore Hero-
dis.

XVII. Ipsa Aedes, uti erat sub im-
perio Herodis, alta erat 100 cubitos (fron-
te, uti dictum, excepta); lata totidem &
longa. Altitudo hoc modo colligitur in
Middoth. 17. 6.

Basis, האומם, fundamentum ex soli-
do lapide, Arab. اطم, 6 cubiti. 6

Murus, 40 cubiti. 40

כיוור ubi erant capita trabium opae in-
sertarum. Rem ita praefectam in extre-
mitate قور appellant Arabes. cub. 1. 1

Locus stillicidii vel intertignium. 2

תקרה, tabulatum ligneum. 1 cub. 1

סעויבה, pavimentum ex alia materia
supra illud (vide Succa 1: 7. Oboloth. 11.

5. Bava Metzia. x. 2. Bava Bathra. 11.

2. Gem. Bava kama. 61. 1.) Exponitur
per Arab. الملاط lutum, calcemve, quae
supra tabulatum sternitur. 1 cub. 1

Murus conclavis superioris. 40. 40

Capita trabium, כיוור. 1 cub. 1

Locus stillicidii vel intertignium. 2 cub. 2

Tabulatum. 1 cub. 1

Pavimentum. 1 cub. 1

Lorica, vel Podium. 3 cub. 3

Lami-

Lamina acuta ad arcendas aves. *I. cub.* 1

100

XVIII. Latitudo ejus ab Austro versus Septentrionem erat cubitorum 100, §. XVIII. Latitudo. quamvis non ubique eandem habuerit, sed a fronte latior existens speciem leonis retulerit. Hoc spatium per cubitos hac ratione digeritur.

Paries Pronai, latus, *cub.* 5 5

Spatium ab hoc pariete usque ad parietem primum conclavium ad latus Sancti, *cubit.* 10 10

Inde usque ad parietem secundum. *cub.* 5 5

Inde ad tertium. *cub.* 3. 3

Inde ad quartum. *cub.* 5. 5

Inde ad quintum. *cub.* 6. 6

Inde ad sextum sive intimum. *cub.* 6. 6

Latitudo Sancti. *cub.* 20. 20

Muri ejus & spatia ad Septentrionem, uti ad Austrum. *cub.* 40. 40

100

Spatia autem, quae ad Austrum & Septentrionem ultra Sancti & conclavium muros excurrerant nomine בית החליפות veniunt, quod ibi secespitae servarentur,

H

vel

vel quod illic secespitaе usui ineptae absconderentur ששם היו גונוים את הסכינין. *Gem. Hier. Joma. 41. 1. & Gem. Hier. Succa. 55. 4.*

§. XIX.
Longitudo.

XIX. Longitudo aedis ab oriente ad occidentem per cubitos ita deducitur in *Gem. Joma. 52. 1.*

Murus Pronai. 5 cub. 5

Pronaon ipsum. 11 cub. 11

Murus Sancti. 6 cub. 6

Sanctum. 40 cub. 40

Spatium veiorum. 1 cub. 1

Sanctum Sanctorum. 20 cub. 20

Murus aedis. 6 cub. 6

Conclavia. 6 cub. 6

Murus conclavium. 5 cub. 5

100

§. XX.
Partes.

XX. In hac Aede consideranda veniunt Pronaon, Sanctum, Sanctum Sanctorum, conclavia superiora, & appendices sive conclavia quae exterius hanc aedem circumdabant.

§. XXI.
Pronai nomina & magnitudo.

XXI. אולם, (ab אול ductum, quasi partem aedis anteriorem dicas) sive Πρόναον, Aquilae πρόδομον, Symmacho προπύλαιον appellatur, teste Hieron. ad Joël. 11. pag. 1353. at idem ad Ezech. viii. pag. 750.

Aqui-

Aquilae primam editionem *προσάδα* habere affirmat, alteram *Elam*, Symmachum *πρόπυλον*. Minus accurate hoc *vestibulum* nuncupatur, quae pars aedium non fuit, teste Caecilio Gallo apud *Gellium* l. xvi. 5. Nomen autem *Πρόνας* ei convenit, vel quod sit ante *Ναόν*, id est, Sanctum, & S. S. vel potius, quod sit pars anterior *τῆς Ναῦς*, id est, aedis sacrae, uti *πρόλογος* & *πρόγλωττις* anteriora sermonis & linguae nuncupantur. Insistebat basi aedis, ab *לַכְּנֵי* distinctum (*Eruvin.* x. 15.) latumque fuit, uti tota aedes, 20 cubitos, longum vero in Templo primo decem *1 Reg.* 6: 3. quos Herodes ad 11 vel 15 aut 20 auxisse dicitur: uti & ipsius aedis tetrum (quod altum fuisse creditur in Templo primo cubitos 80, in secundo 60) ad 100 cubitorum altitudinem extulit.

XXII. Porta Pronai tempore Herodis §. XXII. alta fuisse dicitur 40 cubitos, lata 20, Porta, sive introitus. ejusdem cum ipso Sancto mensurae. *Gem. Hier. Eruvin.* 18. 2. Supra eam § erant *מלתרות* μέλαθρα, totidem seriebus lapidum distincta. Erant autem hae traves diversae longitudinis, sic ut infima trabs incumbens postri utriusque 22 cubitos lata esset, secunda 24, tertia 26, quarta 28, H 2 quin-

quinta 30. *Middoth.* 111. 7. Valvas non habuit, sed pretiosissimum velum (quod in *Schekalim* VIII. 5. & *Gem. Tamid.* 63. 2. scribitur eandem cum porta magnitudinem & crassitiem palmi habuisse) earum locum tenebat, cui aliud vilius praetensum fuisse dicitur, ad arcendas a priori aëris injurias.

§. XXIII. **XXIII.** In Pronao ἀναθήματα plurima fuerant a variis Regibus ad ornandum Templum missa, quae Antiochus Epiphanes abstulit 2 *Macc.* 5: 16. confer 2 *Macc.* 3: 2. inter quae etiam mensa aurea fuisse videtur a Rege Aegypti Ptolemaeo Philadelpho dedicata, teste Josepho, & θάλλοι νομιζόμενοι τῷ ἱερῷ 2 *Macc.* 14: 4. quos Alcimus P. M. Regi Demetrio donavit. Fuit etiam Lampas aurea, suspensa supra portam Sancti, quae quum radios solis orientis reflecteret, admonebantur Sacerdotes tempus esse legendi *יְדוּשׁ* *Gem. Foma.* 37. 2. *Gem. Hier. Foma.* 41. 1. Donum illa erat Helenae Reginae Adiabenorum, factae profelytae, quae etiam Templo donavit טבלא tabulam auream, cui פרשת סוטה, sive Pericopa Biblica de muliere adulterii suspecta erat inscripta. *Gem. Gittin.* 60. 1. *Gem. Hier. Sota.*

i8.i. *Gem. Hier. Joma. 41. 1.* Credunt ut etiam in Pronao suspensae fuisse coronae duae aureae, memoratae *Zach. 6:14.* (alii unam tantum fuisse putant) quas Antiochus in Syriam dicitur detulisse: volunt enim eas intelligi per *σεφάνης καὶ τὸν κόσμον χρυσῶν τὸν κατὰ πρόσωπον τῆ Ναῶ* *1 Macc. 1: 23.* Sed has coronas *κατὰ πρόσωπον τῆ Ναῶ* alias fuisse putem, similes illis quibus *1 Macc. 4: 57.* Chasmonaei ornasse Templum leguntur. Verum maxime celebris fuit in Pronao vitis aurea, *אפן של זהב* (כלונסות) cedrinis quae inter parietem Pronai & Sancti erant: nata ex muneribus privatorum, qui folium, uvamve voverant & molem ejus augebant. *Middoth. III. 8. Gem. Tamid. 63. 1. Joseph. vi. de bell. 6.* Praeter haec erant in Pronao mensae duae, marmorea, cui panes deferendi in Sanctum imponebantur, & aurea quae e Sancto delatos excipiebat. *Menachoth. xi. 7. Schekalim. vi. 4. Gem. Tamid. 65. 2.*

XXIV. Sanctum, *קדש*, *τὰ ἅγια*, §. XXIV. vel *היכל* (distinctum ab *אולם* sive Pronao & *ב'ק'ק* Sancto Sanctorum in *Gem. Megilla. 26. 1.*) aut *בית החיצון* *domus exterior* respectu Sancti Sanctorum (*Joma.*

Sancti magnitudo, & porta.

ma v. 1.) locus erat inter Pronaon & Sanctum Sanctorum intermedius, latus 20 cubitos, longus & altus 40. Porta Sancti, magna dicta, (quod reliquis major videretur ob insignem magnitudinem portae Pronai) lignea & auro obducta, cui velum erat praetensum, alta fuit 20, lata 10 cubitos & quatuor valvis instructa. Ad Septentrionem hujus portae erat **חַדְשָׁה** sive exigua porta in basi Templi, per quam introibat, qui Portam magnam aperiret. *Tamid.* 111. 7. & supra portam magnam Sancti, aurea Lampas ab Helena donata.

§. XXV.
Vasa ejus
praecipua.

XXV. Tria erant hujus loci praecipua ornamenta, *θαυμασιώτατα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, λυχνία, τραπέζα, θυμιατήριον*, uti Josephus loquitur. *lib. v. 14. de bell. Jud.* quorum duo priora ne tempore festorum ab imperitis Sacerdotibus polluerentur, quum loco removeri & immergi non possent, cavebant quam maxime. Altare autem suffitum, quia erat sicuti solum, **כַּקְרָקַע**, immersione non indigebat. *Chagiga.* 111. 8. Haec tria Antiochus e Templo eruta in Syriam detulit *1 Macc.* 1: 23. sed Chafmonaei alia eorum loco fabricarunt. *1 Macc.* 4: 49. Lychnuchus quidem, ante quem

quem Talmudici in *Gem. Menachoth. 29. 1.* lapidem tres gradus altum locant, ut ei Sacerdos aptaturus lucernas insisteret, unicus fuit. Mensa quoque una tantum fuit, quam Titus cum aliis vasis Sacris in triumpho circumtulit, quae in arcu triumphali Titi Vespasiani Romae conspiciuntur. Inter mensam & lychnuchum erat altare suffitus, ad formam, ut videtur, Mosai-
ci exstructum.

XXVI. Hoc autem nec murus nec ostium a Sancto Sanctorum dividebat; sed duo vela, cubiti intermedii spatio sejuncta, inter quae Pontifex M. Sanctum Sanctorum intraturus ab Austro versus Septentrionem incedebat, quae putamus fuisse illud *καταπέτασμα* quod moriente Christo ruptum tradit Matthaeus *c. 27. 51.* nulli quippe usui futurum, postquam Christi mors peccata vere expiasset.

XXVII. Spatium cubiti quod inter Sanctum & Sanctorum erat in Templo Secundo, appellatur *טרקסין*, quod ex Graeca voce *τάραξις*, qua perturbatio oculi a fumo, pulvere, &c. notatur, vulgo deducitur, ut innuatur conditores Templi Secundi, dubitantes an ad Sanctum an vero ad Sanctum Sanctorum pertineret,

vitio oculorum mentis laborasse. Sed quum
 non credibile sit superbam Judaeorum
 gentem tam ignominioso nomine ignoran-
 tiam suam fateri voluisse, nec nomen τα-
 ράξωσ, perturbationis sc. a causa externa,
 satis bene huic rei conveniat, videtur po-
 tius esse nomen Persicum, uti multa alia
 in Talmude memorata, טר טר סטר יין
 קסין. Notat טר vel טר Portam, Introi-
 tum, & קסין *electum*: quippe nulla por-
 tarum Aedis electae, בית הבחירה, uti
 appellatur *Gem. Maccoth. 10. 1. Gem.*
Nazir. 25. 1. Gem. Hier. Avodazara. 43.
1. Midras schir hasschirim. 27. 2. erat san-
 ctior; & spatium hoc ita definitum & ele-
 ctum erat a conditoribus Templi Secun-
 di inter duo Sanctiora conclavia, ut tamen
 ad neutrum pertineret. Quod autem R.
 Jona Bostrensis in *Gem. Hier. Kilaim. 31.*
3. & in Gem. Hier. Foma. 42. 2. tradit
 hanc vocem significare מבפנים מבחוץ
intus & extra, verum est de voce priore
 טר vel טר, aptissima ad hujus historiae
 memoriam conservandam. Quod si quis
 Graecam vocis originem mavult, videat
 an non a θρίγχασις vel θριγκός, quod
 est περίφραγμα, μικρὸν τείχιον Hesychio,
 duci debeat.

XXVIII. Arcam foederis in Tem- §. XXVIII
 plo Secundo non fuisse certum est. Ejus Lapis in S.
 loco saxum erat illic collocatum, quod Sancto-
 rum.
 אֲבֵן שְׁתִּיה *Lapis positionis* dicebatur, al-
 tum supra terram tres digitos. *Joma* v. 2.
 Mira de hoc saxo narrant Judaei, credi-
 turque ipsum illud hodieque a Moham-
 medanis servari in fano quod exstruxerunt
 in loco Templi Secundi, appellantque
 propterea *aedem saxi* قبة الصخر.

XXIX. Supra Sanctum & Sanctum §. XXIX.
 Sanctorum videntur conclavia quaedam Conclavia
 fuisse, per quorum (aut certe unius ex superiora
 iis, sc. quod supra S. Sanctorum erat) & tectum,
 pavimentum demitti solebant artifices, par-
 tes laesas Sancti Sanctorum restitutori, ea-
 que tria ejusdem altitudinis, longitudinis,
 & latitudinis cum Pronao, Sancto, & San-
 cto Sanctorum; & velis intermediis, ut
 infra distincta. *Gem. Cetuvoth.* 106. 1. In
 hoc S. Sanctorum superius semel singulo
 septennio tantum intrasse Pontifex M. le-
 gitur, ut videret an omnia recte se habe-
 rent. *Gem. Pesachim* 86. 1. Supra haec
 tectum aedis eminebat, non planum sed
 acclive, & cingulo 4 cubitos alto circum-
 datum. Cingulis sive loricis ejusmodi te-
 cta plana aedium privatarum muniri Deus

H 5 jus-

jusserat *Deut.* 22:8. at aedis sacrae tectum licet planum non esset sed culmen haberet *ἀέτον & ἀέτωμα* dictum (nam & in Oriente aedes privatae tecta plana, sed templa culmen ejusmodi habebant) tamen, lorica circumdatum fuit. Loricae huic trium cubitorum altitudinem tribuunt Judaei & supra eam cubitum unum eminuisse laminam acutam volunt ad arcendas aves: Josephus *lib. vi. de bell. c. 6.* ὄβελος hic constituit, κατὰ κορυφήν χρυσεὺς ὄβελος ἀνεῖχε τεθηγμένους, ὡς μή τινι προσκαθεζομένῳ μολύνοιτο τῶν ὀρνέων.

§. XXX.
Conclavia
lateralia.

XXX. Circa aedem conclavia structa fuisse dicuntur, οἴκοι τρίσεγοι πολλοὶ Josepho *de bell. vi. 6.* numero 38, quorum 15 & 15 hinc & inde, 8 ad posticam aedis partem fuere collocata, per tres ordines contignationum. Haec Sanctum & Sanctum Sanctorum ambiabant, a Septentrione, Occidente & Austro, ad ornatum & custodiam variarum rerum, ita ut ad Septentrionem & Austrum quinque essent sita supra alia quinque, & super haec totidem alia; ad occasum vero tria tribus imposita & his duo. *Middoth. iv. 3.* Quibus addi possunt conclavia duo ad Austrum & Septentrionem Pronai, secesspitis destinata.

C A P.

CAP. X.

De Synagogis.

I. **I**Nter loca Sacra numerandae quoque §. I. Νοῦ
 sunt Synagogae, quas Philo *ἱερὰς τό-* mina.
πυλαίς, alii *προσευχῶν*, *σαββαθεῖα*, *τόπαις*
εὐκτηρίαις & *ἱερὰ*, (licet Hierosolymis *ἱε-*
ρόν, Templum, a Synagogis distinguatur
Joh. 18: 20.) Hebraei vulgo *בתי כנסיות*
 appellant. Et uti haec vox apta nata est
 significare quosvis locos, in quos homi-
 nes conveniunt, ita etiam vox *Συναγω-*
γή (qua interpretes Alexandrini *τὸ קהל*,
 paucissimis locis exceptis, vertunt) quam-
 vis congregationem, uti impiorum *Pf.*
22: 17. apum *Jud. 13: 8.* notare apta,
 strictius tamen accepta pro loco publici
 conventus sumitur, in quo preces & re-
 liquae partes cultus sacri ab incolis urbium
 majorum Sabbathis & stas temporibus
 peragebantur. Nonnunquam & Synago-
 gae nomen scholis tribuitur, quae plerum-
 que Synagogis strictè dictis conjunctae
 erant, praecipue, quum sub imperio Gen-
 tium Judaei viverent: verum quod ad
 rem ipsam attinet, *Synagogae* *בתי כנסיות*
 &

& Scholae בתי מדרשות erant diversae, illae quidem precibus, להתפלל, hae doctrinae Misnae & Gemarae, uti Judaei loquuntur, destinae. vide Gem. Avoda Zara. 38. 1. Gem. Moëd katon. 22. 2. & 29. 1. Gem. Bava mezia. 28. 2. Gem. Nazir. 23. 2.

§. II. Sanctitas.

II. Sanctitas Synagogarum ex nominibus quibus insigniuntur, & usu cui destinatae erant, innotescit. Illa autem tanta erat, ut etiamsi destructae essent, in loco earum non licuerit lugere, torquere funiculos, retia extendere, aut viae compendium per eundem locum facere. Megilla. 111. 3. Major tamen erat, secundum Judaeorum opinionem, sanctitas scholarum בתי מדרש quam Synagogarum, & quia in sacris adscendunt, non descendunt, מעלין בקדש ולא מורידין, fas est Synagogam in Scholam convertere, non vicissim: illudque Ps. 84. 8. מחיל חיל אל explicant de progressu a Synagogis ad Scholas, in Gem. Hier. Schevüth. 35. 3. Quod si quis preces funderet in aedibus privatis vel in plateis (sive unus sit, sive totus coetus, uti in jejuniis publicis) אין בהן קדושה nulla Sanctitas iis locis accedit, uti loquuntur Hebraei.

III.

III. Quum a temporibus antiquis, ἐκ ἑ. ἰ. ἰ. Ὁρί-
 γενεῶν ἀρχαίων, in Synagogis codicem^{80.}
 Mosaicum populo praelectum tradat Ja-
 cobus, *Act.* 15: 21. origo earum inde du-
 cenda est. At quum id tempus indefinitum
 sit, nonnulli viventibus primis Patriarchis
 loca quaedam sacro cultui dicata & stas
 temporibus frequentata fuisse existimant,
 eaque nomine Synagogarum insigniunt:
 alii in *Deut.* 31: 11, 12. orum Synagoga-
 rum quaerunt, quod singulo septennio
 Lex praelegi debuerit: alii denique, quum
 etiam sub imperio Regum Judae & Israë-
 lis frequenter & diu in idololatriam pro-
 lapsi fuerint Judaei, & sine כהן מורה
 & תורה vixerint (*2 Chron.* 15: 3.) &
 rarissima Legis Mosaicae exempla fuisse
 videatur liquere ex *2 Chron.* 17: 6.) &
 Josiae admiratione quum verba reperti for-
 tuitu Sacri Codicis perciperet, *2 Reg.* 22: 11.
 Synagogas tunc non fuisse (secundum illud
 Hebraeorum in *Midrasch Esther.* 123: 1.
 & *Tanchuma*, f. 54: 2. אם אין תורה אין
 כנסיות *ubi non est Lex, non sunt Syna-
 gogae*) sed post reditum Judaeorum e ca-
 ptivitate Babylonica eas ortas esse arbitran-
 tur: In primis quum Judaei ipsi, ultimam
 antiquitatem rebus suis & ritibus tribuere
 soliti,

soliti, non altius quam ab Ezra, ritus Synagogarum & quae eo spectant, arcessere consueverint.

§.IV.Usus.
Lectio
Pentateu-
chi & Pre-
ces.

I V. Partes Sacri cultus in Synagogis peragi soliti hae fere sunt. Lectio Sacri Codicis, (quam lectionem praecedebant Preces matutinae, quas Viri stantes, & ante ingressum Synagogae loti, velato capite fundebant, & formula קריש) praecipue quidem Pentateuchi, quae non Graeco sed Hebraico sermone fiebat, non in Palaestina tantum, sed & Alexandriae & alibi, quamvis imperante Justiniano de versione Graeca ad librorum sacrorum publicam lectionem assumenda lis mota fuerit. Codex ipse traditur fuisse, ut hodieque in Synagogis, sine punctis vocalibus. Singulis autem Sabbathis, matutino tempore, sectio quaedam praelegitur, sive Parascha (quales in Pentateucho 53, ut Masorethae, 54, ut alii dicunt) ita ut spatium annuum, cujus initium ducitur a Sabbatho primo post festum tabernaculorum, tota Lex Mosaica absolvatur: pro ratione enim anni unam vel duas Paraschas uno Sabbatho praelegebant. Singulae Paraschae in septem partes erant divisae pro numero lectorum. Huic erant vel Sacerdotes,

dotes, vel Levitae, aut Israëlitae ת'ח
הממונים פרנסים על הציבור
ת'ח qui hoc munere digni erant, tum
filii ת'ח, quorum patres erant ממונים
על הציבור, postea *capita Synagogarum*
ראשי כנסיות כל *quibus e populo*
העם. Hic enim ordo dignitatis praescribi
tur in *Gem. Gittin. 60:1*. Confer *Gem. Pe-*
sachim. 49:1. Horum ultimus ubi munere
suo functus esset, & codex in arcam redu-
ctus (*Luc. 4:20*) קדיש repetebatur.

V. Deinde instituebatur lectio τῶν §. V. Le-
הפטרות five pericoparum ex scriptis Pro- ctio Pro-
pheticis excerptarum *Act. 13:27*. (quam phetarum,
δοξολογία quaedam praecedebat, & qua-
tuor sequebantur) & preces addititiae,
תפלת מוסף. Aderat autem huic le-
ctioni המתרגם, five Interpres (quem
nonnulli volunt eundem fuisse cum הדרשן
Concionatore, ita ut Interpretationem suam
latius saepe diffunderet; alii distinguunt,
sic ut הדרשן orationem ad populum
post lectionem Sacri Codicis habeat) qui
comma unum e scriptis Mosaïcis praele-
ctum, e Prophetis tria, coram populo
Hebraeae linguae ignaro interpretaretur:
Megilla 111:3. quem nonnulli inde a
captivitate Babylonica, alii demum a tem-
poribus

poribus Chasmonaeorum eo officio functum fuisse existimant. Benedictio quoque per Sacerdotes stantes in suggesto (דוכן) ante armarium sive היכל, vel absentibus iis per שליה צבור peragebatur, junctis & sublatis manibus ad altitudinem humerorum (in Templo altius, scilicet supra caput, nisi P.M. benediceret) & expansis digitis, ita ut quinque inter eos intervalla cernerentur. Post haec, ubi populus *Amen* respondisset (quod in Templo fieri non solebat sed ejus loco dicebatur בשב" מלו, quod etiam hodie post primum comma ק'ש' תהי' Judaei mussitare solent, exemplo, ut ferunt, Patriarchae Jacobi,) & שליה ציבור aliam orationem subjunxisset, dimittebatur concio.

§. VI. Lectio ק'ש'

VI. Solent quoque in Synagoga, vel quotidie, vel certe Sabbathis, diebusque hebdomadae secundo & quinto, legere שמע קריית שמע, sive pericopas tres Biblicas Deut. 6: 4-9. Deut. 11: 13-21. & Num. 15: 37-41. Fit illud bis de die, mane & vesperi a maribus liberis, qui mane phylacteriis instructi sunt (at nonnisi diebus profestis: nam Sabbathis & in ימים טובים ea non induunt) sive תפילין, quorum origi-

originem ex *Exod.* 13: 9. repetunt. Lora haec sunt, continentia haec pericopas, *Exod.* 13: 3-10. *Exod.* 13: 11-16. *Deut.* 6: 5-9. *Deut.* 11: 13-21. quae thecis inclusae, capiti & manui sinistrae adaptatae gestabantur. *Gem. Menachot.* 34: 2. *Gem. Eruvin.* 95: 2. Notandum tamen Karacos haec phylacteria non gestare, & verba *Ex.* 13: 9. explicare de memoria Legis mente conservanda. Sacerdotes ipsi in Templo ab hoc officio legendi 'ק'ש' immunes non erant quamvis hoc iis esset peculiare, quod ante 'ק'ש' recitarent decalogum, quod בנבולין, id est, in locis extra Atrium magnum, necessarium non erat. Hunc enim ordinem cultus Sacerdotalis fuisse tradunt in *Gem. Beracoth.* 12. 1.

1. קורין עשרה הדברות, legunt decalogum.
2. שמע *Deut.* 6: 4-9.
3. והיה אם שמוע *Deut.* 11: 13-21.
4. ויאמר *Num.* 15: 37-41.
5. אמת ויציב. Sunt voces initiales formulae precum, hodieque Judaeis in usu post 'ק'ש' mane.
6. עבודה. Opus sacrum quisque suum peragunt.
7. ברכת כהנים. Benedicunt populo.

§. VII. Fla-
gellatio.

VII. Flagellationem in Synagogis peragi solere liquet ex *Matth.* 10: 17. & 23. 37. Alii quidem hic per Synagogas innui putant Conventus civiles sive Juridicos, ut *1 Macc.* 7: 12. *Addit.* ad *Daniel.* 13: 41. vel speciatim Synedrium triumvirale, quod in unaquaque Synagoga erat: sed alii Synagogas proprie dictas intelligunt, in quibus uti Excommunicatio ita flagellatio, poena minor, in usu fuit.

§. VIII.
Circumci-
sio.

VIII. Inter actus quoque sacros in Synagogis peragi solitos (quamvis a quibusdam Judaeis in aedibus privatis fiat) est Circumcisio, מילה. Cujus omissio poenam כרת mereri dicitur in *Kerituth.* 1: i. graviorque putatur quam si quis celebrationem Paschatis aut festi tabernaculorum neglexisset. *Nedarim.* 111: 11. Hanc instituit מוהל ejus artis gnarus coram Armario, in puero octavo die post nativitatem, sive Sabbathum sit sive non: i. auferens ei novacula partem praeputii (quae actio proprie מילה appellatur) & 11. discerpens unguibus partem reliquam donec glans plane nudetur, quod פריעה dicitur. Si quis hanc פריעה omisisset, censetur tota circumcisio nulla. *Gem. Hier. Jevamoth.* 9: 1. Ita individuo nexu junguntur

guntur **מילה** & **פריעה** veluti **ציצית** & **תפילין** aliaque, de quibus dictum volunt *Proverb. 31: 11.* aedem esse **לבוש שנים** *tectam duplicibus operimentis.* Vide *Midrasch Mischle, fol. 75. col. 3.* Quem ritum alia nonnulla comitari solent, uti formulae acclamandi **ברוך הבא**, collocatio sedis Eliae, accensio facis, sanguinis e vulnere exsuctio, ejusque immissio in calicem vini sive **מציצה**, impositio nominis, preces & convivium domi paratum. Vide *Schabbath. xix.* per totum caput.

IX. Partes in Synagoga praecipue spectandae sunt quatuor I. Armarium, *Hebr. ארון*, *tes.* Arca, quae & **היכל** dicitur, sive *Sacellum*, & **תיבה** (quamvis alii putent pluteum, cui Lex legenda imponitur, ita esse dicendum, aut ipsum **בימה**) in quo Libri Sacri asservantur, collocandum in latere Synagogae, quod Hierosolymam respicit, ut in precibus versus Sanctum Sanctorum facies suas convertant, & velo appenso ornatum. Quis gradus Sanctitatis ei respectu Synagogae & utensilium ejus tribuatur, vide in *Megilla 111: 1.* II. Suggestum ligneum, Hebraice, **אלמיכרא** (ex Arab. المنبر) **בימה**, **מגדל**, *βῆμα*,
I 2 ex-

exstructum in medio Synagogae, ut in illud conscendant qui Codicem Sacrum praelegent, aut pro concione verba facient, super quo est כסא sive כורסייא (*Pers.* کرسی) pulpitum, cui Codex Sacer, dum eum legebant, imponebatur. III. Subsellia, קתדראות, inter quae varia erat distinctio, ita ut subsellia Seniorum obversa essent populo & terga confidentium versus armarium essent, & populi subsellia spectarent armarium, quamvis in omnibus Synagogis id non observetur. Huc spectant πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς a Christo reprehensae *Matth.* 23: 6. Tales Cathedrae 71 deauratae in Synagoga Alexandrina fuerunt, secundum numerum membrorum Synedrii magni. *Gem. Succa.* 51: 2. id Judaei explicant de Synedrio quod Alexandriae erat, a quo versio Graeca videtur esse dicta τῶν Lxx. quod ab istis Lxx. Senatoribus esset probata. IV. Lucernae in Synagoga suspensae ad usum quidem in precibus vespertinis, ad ornatum vero & decus Sabbathis festisque diebus accensae. Talem Antoninus Imperator donasse legitur *Gem. Hier. Megilla.* 74: 1.

X. Frequenter Judaei mentionem in- §. X. De-
 jiciunt, quum de Synagogis loquuntur, cem otiosæ
 decem otiosorum בטלנים, id est, quo- Synago-
 rundam hominum qui ab opere cessantes gae.
 ad id pretio conducti erant, ut in Syna-
 goga praesentes essent tempore precum,
 & decem saltem ibi invenirentur. Vide
Gem. Beracoth. 1: 3. Ubi hi essent, illa
 עיר גדולה urbs magna habebatur; ubi
 non essent, censebatur modo כפר. *Me-
 gilla. 1: 3.* Alii vero existimant hos decem
 fuisse homines literatos, qui Synagogam
 moderabantur & curam ejus gerebant.

XI. Personae, quarum opera circa Sy- §. XI. Re-
 nagogae regimen & ministerium Sacrum ctiores ejus
 versabatur, his nominibus fere appellantur. & ministri,
 Ἀρχισυναγωγοὶ ראשי כנסיות, qui pro-
 ximi dignitate τοῖς גדולי הדור statuun-
 tur in *Gem. Pesachim. 49:1.* פרנסים, זקנים,
 ממונים, quos nonnulli eisdem faciunt
 cum collectoribus eleemosynarum, alii
 pro Praefectis habent vel Doctores Sy-
 nagogae. חזנים, id est, ὑπηρέται, sive
Ministri. Luc. 4: 20. qui Synagogis de-
 ferviunt. *l. 4. Cod. Theod. de Jud. & coelic.*
 שליחי צבור qui conferri solent cum
 ἀγγέλοις ἐκκλησίας. *Apor. 1: 20.* Certe
 שליח idem est quod ἄγγελος: & specia-
 tim

tim hoc nomine dicebantur illi qui ad puellas nobiles mittebantur matrimoniorum causa; atque ita Moses מִלֵּוֹי dicitur in *Midrasch Schir Hasschirim*. 5: 2. quod ejus interventu Deus populum Israëliticum sibi in uxorem assumserit. Confer *1 Cor.* 11. 10. *διὰ τῆς ἀγγελίας*. Ceterum diversi ab his erant Apostoli Patriarcharum Judaicorum, qui mittebantur ad primitias & decimas colligendas, aurum coronarium (ita semisiclum appellabant ob convenientiam aliquam cum auro coronario Imperatoribus offerri solito) exigendum, statum ecclesiarum in his & illis locis examinandum, ea cum auctoritate ut praefectos Synagogis & chazanitas dignitate sua possent exuere. Vide Epiphanium *Haeres.* 30. pag. 135. sed haec dignitas Apostolatus uti & Patriarcharum tempore Theodoretii jam defuerat inter Judaeos. Praeterea erant גְּבַיִם & צְדָקָה *collectores Eleemosynarum*, וְמַחְלְקֵי צְדָקָה qui eas distribuunt. Dabant autem ex תְּמַחֵי omni- bus hominibus, & quidem quotidie: sed ex קוֹפֵה tantum incolis illius urbis, & semel in hebdomade, die Sabbathum antecedente *Hier. Pea.* 21: 1. & Confer *Gem. Bava Bathra.* 8-11. *Gem. Hieros. Gittin.*

Gittin. 47: 3. *Gem. Hier. Demai.* 24: 1.
Gem. Hier. Avoda Zara. 39: 3.

XII. Celeberrima inter Synagogas Ju- §. XII. Nu-
 daeorum fuit Alexandrina una, quam qui merus Sy-
 non vidisset, & ejus דפלו איסטבות, nagoga-
 vel פלוסטין די דיπλὰς σοὰς, prover- rum,
 bio ferebatur non vidisse gloriam Israëlis,
Gem. Succa 51: 2. quae prae reliquis ejus
 urbis Synagogis μεγίστη καὶ περισημοτάτη
 Philoni nuncupatur. In aliis urbibus tam
 extra quam intra Palaestinam, ipsaque Hie-
 rosolyma, ubi τῶν Λιβερτίνων, Κυρηναίων,
 & aliae *Act.* 6: 9. memorantur, plures Sy-
 nagogae fuerunt. Hierosolymis olim 480
 fuisse legitur in *Echa rabbati* 55. 1. & 74.
 4. Cujus numeri memoriale est מלאתי
Jes. 1: 20.

XIII. Non videntur tamen omnia quae §. XIIIii
 de numero Synagogarum in his & illis lo- Talmudi-
 cis, uti urbe Beter, & alibi, leguntur in cae hyper-
 Talmude (vide *Gem. Gittin.* 58: 1.) acci- bolae de il-
 pienda esse לפי הפשוט, id est, sensu li- lo.
 terali, & historico, sed potius על דרך
 והבאי גומא, sive hyperbolice, secundum
 morem loquendi populorum orientalium,
 quod res ipsa indicat, ac saepissime ex ver-
 bis adjectis liquet; ipsi quoque Talmudici in
Gem. Chullin. 90. 2. monent, ubi de 300

modiis cinerum in altari inventis sermo est, & in *Gem. Tamid.* 63:1, 2. ubi non hoc tantum, sed & narrationem de vite aurea in Pronao Templi, & velo, quod a 300 Sacerdotibus lavabatur, esse לשון הבאי hyperbolen traditur: quales inveniuntur in libris sacris, uti quum urbes magnae & & munitae usque ad coelos, terra clamore hominum fissa, & similia leguntur. In his autem Judaei tradunt Sacros scriptores sequi modos loquendi in Oriente usitatos, sive ut illi dicunt דברה תורה בלשון בני אדם *Lex more humano loquitur.* *Gem. Gitin.* 41: 3. *Gem. Bava Mezia.* 31: 2. *Gem. Nedarim.* 2: 1. Nisi aliquis credere malit (& erunt qui credere malint) viros qui in summa dignitate constituti rempublicam Judaicam & Academias rexerunt, homines fuisse usque adeo delirantes, ut sibi & aliis ineptissimas nugas persuaserint, quas hodie sibi obtrudi nec pueri nostri nec aniculae paterentur.

P A R S I I.

D E

PERSONIS SACRIS.

C A P. I.

De Pontifice Maximo.

I.



Personae Sacrae, quarum opera in Tabernaculo & Templo statis temporibus requirebatur, in tres classes commode dividi queunt, quarum primam constituit Pontifex Maximus, alteram Sacerdotes, tertiam Levitae. Pontifex Maximus כהן גדול vel הכהן (Nehem. 7: 65.) & Ἀρχιερεὺς μέγας aut ὁ προηγέμενος πάντων Ἀρχιερεὺς (in Macc. 1: 11.) ad distinctionem aliorum Ἀρχιερέων qui certis Sacerdotum classibus praecerant, appellatur: quo nomine Julianus Imperator in Epist. se vocat, qui Romanis Pontifex M. dicebatur. In veteribus Nummis Pontifices Max. Romanorum Ἀρχιερεῖς μέγιστοι saepe nuncupantur, & alias ἀπλῶς, Ἀρχιε-

§. I. Nomina Pontificis M.

I 5

ρεῖς,

ρεῖς, imo & Ἱερεῖς, uti Appianus P. M. Lepidum vocat: atque ita quoque Judaei Pontificem suum modo Ἀρχιερέα μέγαν, Ἀρχιερέα, modo ἱερέα τὸν μέγαν & ἱερέα, non additio epitheto, appellant: vide versionem Alexandrinam, *Exod.* 29:30. *Libr. Judith.* 15:9. *1 Macc.* 14:3. *3 Ezr.* 9:39. Confer *Deut.* 10:6.

§.II. Dignitas.

II. Summa fuit dignitas Pontificis maximi, in eo posita quod Sacerdotes ceteros anteiret, *הַגָּדוֹל כְּמֹהוּ* *Lev.* 21:10. qui cum omnes essent Sancti & quidem Sanctitate perpetua *קְדוּשַׁת עוֹלָם* (*Nazir.* VII:1.) hunc Sanctissimum dici posse clarum est: quare & ἅγιον ἁγίων eum nuncupari *Dan.* 9:24. Aquila opinabatur, teste Eusebio, *Demonstr. Evang. lib.* VIII. pag. 381. & Sanctissimas partes cultus divini perageret, sed summorum quoque Conciliorum praefes plerumque constitueretur, & solo Rege minor esset; quicum tamen conveniebat in eo, quod, uti textores, tonsores, coriarii, balneatores, aut qui in negotiis sordidis diversantur, non ad Regiam ita nec ad Pontificiam dignitatem admitterentur. Philo, *in legat. ad Cajum*, ἀρχιερωσύνην tantum praestare τῇ βασιλείᾳ contendit quantum cura rerum

rum divinarum praestat curae humanarum. Nec desunt qui Pontificem maximum aequiparent universo populo Israëlitico **הכהן הגדול שקול כנגד כל ישראל**.

III. Videtur Pontifex Maximus eligendus fuisse a fratribus suis, sacerdotibus nempe, supra quos evehi debuit: adeoque ad Synedrium, in quo Sacerdotes maximam partem constituebant, haec cura spectavit, aut ad aliquod aliud *Concilium Sacerdotum*, **בית דין של כהנים**. Nec enim, uti regnum, haereditario jure a parentibus ad filios ea dignitas manavit, aut primogeniti necessario parentum loco substituti sunt, quamvis saepe id factum haud negemus. Ideo ungi eos oportuit, non reges. At stante Templo saepe electi fuerunt Pontifices a Regibus non tantum familiae Herodianaë, sed Syriacis aliisque.

IV. Inauguratio ejus stante Tabernaculo & Templo primo consistebat in lotionem, unctionem, indutionem vestium Pontificalium, & sacrificio, *Lev. 6: 20*. Quum vero oleum Sacrum in Templo Secundo defuerit, quod a tempore Regis Josiae absconditum fuisse Judaei tradunt, non nisi lotionem, vestium indutionem & sacrificio

cio Pontifex Max. inauguratus fuit & כְּרוּבָה בְּגָדִים, (quem Latini *praeditum vestibus* dicerent, eo sensu quo vox *Praeditus* notat προαχθέντα, ὠχυρομένον, *promotum, roboratum*) non ut olim, כְּרוּבָה מְשִׁיחָה cui confertur dignitas unctio, dici potuit. Hic autem, qui vestibus Sacris praeditus erat, non unctio, functionem illam non peragebat quam Lex Sacerdoti uncto praescripsit, quae est oblatio juvenci. *Lev. 4. 3. Horaioth. 111. 4. Megilla. 1. 9. Gem. Nazir. 47. 2. R. Meir* tamen putabat illum juvencum etiam a Pontifice solis vestibus praedito licite offerri. *Gem. Megilla 9. 2.*

§. V. Unctio-
nis
modus.

V. Unctio haec peragebatur oleo Sacro, quod הַמְשָׁחָה, *unctio*, appellatur. Judaei id distinguunt ab oleo *opobalsami* אֶפְרַסְמוֹן, quo Reges Israelis ungebantur, atque illo nonnisi Pontifices, Sacerdotes feciales, sive castrenses, & Reges e genere Davidico, ungi consuevisse tradunt. Olim hoc oleo vasa quoque Tabernaculi ipsumque Tabernaculum unctum fuerat & altare exterius ac labrum. *Exod. 40: 9.* Alii vero nonnisi Sacerdotes eo ungi debuisse ex mandato Dei, *Exod. 30: 31.* arguunt. Modus unctio-
nis de-

describitur *Exod.* 29: 7. & *Levit.* 8: 12. ubi quum in priori loco *comm.* 6, in posteriori *comm.* 9. dicatur pileum capiti Aaronis impositum jam fuisse, nec seriem rerum, uti illic narrantur, perturbare necessitas ulla urgeat, putamus tecto capite unctum fuisse Pontificem. Sacer Codex porro memorat hoc oleum effusum fuisse in caput Aaronis, quod inde in barbam descenderit. *Psf.* 133: 2. Judaei autem in *Gem. Horaioth* tradunt distinctos actus indicari per voces יצק *effudit*, & משח *unxit*, *Lev.* 8: 12. sic ut posterius innuat oleum supra oculos Pontificis diductum fuisse in formam Graeci Chi, כמין כי יונית. *Gem. Kerituth.* 77. id est, ὡς γράμμα τὸ χι γράφεται, uti loquitur Hippocrates de capitis vulneribus, *cap.* 1. Χιασμὸν vocat ejusmodi figuram Aretaeus Cappadox *lib.* 1. *de sign. & caus. diut. morb. cap.* 7. Nec videtur esse ratio cur haec Judaeorum traditio rejici debeat: in primis quum aduersus Judaeos pro cruce Christi urgeri possit.

VI. Componebatur hoc oleum unctio- §. VI. Olei
nis ex quatuor aromatibus, quae *Exod.* Sacri ma-
30: 22. recensentur. I. מר דרור vel מר *Auctor.*
myrrha. II. קנמון בשם *cinnamon aroma-*
ticum. III. קנה בשם *calamus aromaticus,*
IV.

IV. קרה *casia* : quorum omnium succi in oleo videntur macerati expressique. Ceterum mira Judaei narrant in *Gem. Hier. Schekalim* 9. 1. *Gem. Horaioth.* 11. 2. *Gem. Kerituth.* 77. 2. de exigua ejus olei quantitate, sc. 12 logis, (quorum indicium est *וה* *Exod.* 30: 31. vel *הין*. vid. *Gem. Hier. Sota.* 22. 3.) quae per multa saecula vi Divina conservata suffecerit ad plurimas unctiones eo peractas. Auctorem hujus olei Judaei vulgo, praeunte Talmude in *Gem. Kerituth.* 77. 2. Mosen esse dicunt, (*שמן המשחה שעשה משה*) qui a Deo jussus est *Exod.* 30: 25. accipere aromata quae ibi recensentur, & conficere oleum. Sed cum clarissimis verbis *Exod.* 37: 29. & 39. 38. Bezaleel hoc oleum parasse iugatur, videtur *Exod.* 30. Moses juberi, ut oleum & cetera, de quibus ibi agitur, confici curet petens aromata ab Israëlitis, quemadmodum *Exod.* 30: 1. jubetur conficere altare suffitus quod tamen Bezaleel *Exod.* 37: 25. fecisse legitur. Quid? quod ipse Deus *Exod.* 31: 6. dicat Bezaleelem & Oholiabum confecturos esse omnia illa quae Deus ante Mosen jusserat. Sic ut sententia Judaeorum hoc quoque modo accipi debeat Mosen curasse illud oleum a Bezaleele confici.

VII.

VII. Soline Pontifices Maximi uncti fuerint hoc oleo, an vero eodem & Sacerdotes gregarii, disputatur. Appellatur Pontifex M. *Levit. 21: 10.* **אֲשֶׁר יִצַק עַל** **רֹאשׁוֹ שֶׁן הַמִּשְׁחָה** *cujus capiti infusum est oleum unctionis*, & hac re distinguitur a fratribus suis. Nam maxima copia effundebatur hoc oleum in caput Pontificis, ita ut in barbam ejus descenderet & **עַל פִּי** **מְדוֹתָיו**, usque ad oram vestis, sumnam nempe quae collum cingebat, *σώμα* Graecis dictam, uti *πέζα* dicebatur infima *Pf. 133:2.* Verum oleum unctionis adhibitum quoque fuisse ad inaugurationem Sacerdotum patet ex *Exod. 30: 31.* ubi Deus jubet, **תִּמְשַׁח** *unges Aaronem & filios ejus* colligiturque ex *Exod. 26: 21.* ubi jubetur oleum **הַמִּשְׁחָה** *unctionis* sanguini mixtum *adspergi* (**הוֹיֵת**, non *effundi*, **יִצַק**. vid. *supra*) *Aaroni* (cujus inauguratio singularis & ei propria *comm. 7.* jam narrata fuerat, nunc quae ei communis erat cum aliis Sacerdotibus describitur) & vestibus ejus, & filiis ejus & vestibus eorum. Sacerdotes vulgares autem semel modo in deserto adspersi fuere, uti Judaei tradunt, sicut vi unctionis illius vel adsersionis postea eorum consecrati censerentur; verum

Pontifex
M. oleo
effuso largiter unctus, Sacerdotes alii adspersi.

Pon-

Pontifices Maximi post Aaronem unctio-
ne opus habebant, quum nova dignitas iis
conferretur prae fratribus suis.

§. VIII.

Vestis, ea-
rumque di-
stinctio.

VIII. Vestes Pontificales duorum ge-
nerum fuere, alterae Albae, alterae Au-
reae appellatae, quod vel ex auro consta-
rent, vel illud appensum aut intextum ha-
berent. Illae quatuor numero erant, 1. *Femoralia*, 2. *Tunica*, 3. *Balteus*, & 4. *Ci-
daris*, quas induebat Pontifex ingressurus
Sanctum Sanctorum die Expiationis, aut
crematurus vaccam rufam: nec nisi uno
die in vita sua (*Lev. 16: 23.*) iis uteba-
tur, ut Judaei tradunt, quum aureae post
ministerium illius diei in certo loco serva-
rentur. Aureae dictae שמונה כלים,
(uti & Graeci vestes *σνευὰς* dicunt) vel
שמונה זהובים, *Gem. Hier. Joma. 44.*
2. erant octo, *Joma VII. 5.* *Femoralia*,
tunica, *balteus*, *cidaris*, *pallium*, *ephod*,
pectorale, & *lamina*. Quatuor ex iis com-
munes illi erant cum reliquis Sacerdoti-
bus, quatuor propriae, מעיל אפוד השן
וְצִיץ 1. *Pallium*. 2. *Ephod*. 3. *Pectorale*,
& 4. *Lamina* ei praetensa.

§. IX. Al-
bae.

IX. Albae vestes (*Levit. 16: 4.*) con-
stabant ex lino כר, quod distinguitur a
lino שש vestium aurearum, *Exod. 28.*
&

& probabile est illud hoc pretiosius fuisse ratione artificii quo contextum erat, quod plurima, quorum eo die in Templo usus erat, pretiosiora essent. Has vestes albas (alii dicunt *tunicas* modo, כתנות, nam saepe tunicae nomine omnes vestes intelliguntur) duplices habuisse dicitur Pontifex Maxim. ut aliis mane aliis vesperi die Expiationis uteretur. I. *Femoralia*, מכנסים, *braccae* alias, Graecis περισκελή, describuntur *Exod.* 28: 42. quibus a lumbis vel a pectore ad genua corpus tegebatur. II. *Tunica*, כתונת, χιτών, corpus tegebat a collo ad talos, induenda supra femoralia, III. *Balteus*, אבנט, quo tunica constringebatur πρὸς τοῖς μασοῖς (confer *Apoc.* 1: 13) Arabibus & Persis بند, Ἐμίαν a Judaeis dictus, voce a Babylo- niis petita, teste Josepho *Ant.* 111: 8. (quod est Persicum همیان, חמין Chaldaeis) & Hieronymo *Epist. ad Fabiolam* ex lino constabat: quum reliquorum sacerdotum baltei ex lino & lana constarent, & ipse balteus Pontificiis M. vestibis aureis induti: uti legitur in *Gem. Hier. Foma.* 44: 2. ubi de balteo Pont. M. vestibis albis induti die Expiationis certum esse dicitur, eum tum fuisse של בוץ lineum &

& reliquis diebus anni *ex lino & lana*,
 יש בו כלאים: verum de Sacerdotum
 balteo dissensus est inter Doctores an fue-
 rit ex lino & lana nec ne. Hujus latitu-
 do fuit 4 digitorum Josepho & Hierony-
 mo, Maimonidi longitudo 32 cubitorum
 latitudo digitorum trium. IV. *Cidaris*,
 מצנפת dicta, & distincta a pileis Sacerdo-
 tum מנבעות, κίδαρις Graecis Interpre-
 tibus, Josepho ταινία, fascia aliis, infu-
 la, galerus, &c. Longam fuisse xvi cu-
 bitos tradunt Judaei. Distinctionem au-
 tem cidaris hujus a Sacerdotalibus plurimi
 in eo ponunt, quod illa depressior fuerit,
 hae vero altiores & ad figuram collis. Sic
 ut vestes albae Pont. Max. non fuerint di-
 stinctae a vestibus vulgarium Sacerdotum,
 nisi quod horum balteus ex lana & lino
 picto constiterit, quum omnes albae ve-
 stes Pont. Max. ex candidissimo lino sive
 bysso essent, & horum cidaris fuerit al-
 tior quidem sed non tam lata. Vide *Germ.*
Joma. 12: 2.

§. X. Et
 Aureae.

X. Vestes aureae, quibus indutus erat
 Pontifex dum Sacris quotidie operabatur,
 aut in Sancto Deum per Urim & Thum-
 mim consulebat, praeter eas, quas cum
 Sacerdotibus communes habuit, hae fuere
 ipsi

ipsi propriae. I. *Pallium* laneum **למע**, sine manicis. (Confer *Jes.* 59: 17.) cui quidem aurum intextum non erat, sed tintinnabula aurea appensa. Praeter quae **רמני**, malogranata ex lana hyacinthinae purpurea & coccinea, ad oram tunicae infimam inter tintinnabula erant collocata, quae 72 fuisse Hebraei tradunt. in *Gem. Zevachim.* 88. 2. II. *Ephod*, **אפוד** (quod nomen etiam vestibus aliorum quam Pont. Max. datur. 2 *Sam.* 6: 15. 1 *Sam.* 2: 18.) **ἐπωμὶς**, amiculum, constans ex lana hyacinthina, purpurea, coccinea, & bysso retorta, pallio brevius, sine manicis, quod supra pallium induebat Pontifex, ab humeris, quos **כתפות** humeralia ei adsuta tegebant, ultra dimidiam corporis partem dependens, & partem pectoris intectam relinquens a pectorali tegendam; compositum ex duabus plagulis quas fibulae aureae in utroque humero, ubi duo lapides **זמרוד** sive zmaragdi, (uti Philo, Epiphanius & alii reddunt) nominibus tribuum inscripti erant, ab anteriori parte loris duobus instructam, quibus corpori adstringebatur, & duobus annulis, ad vittas Pectoralis recipiendas. *Exod.* 38: 6. III. *Pectorale*, **שן**, **λόγιον** *Siracidi* 45: 12. Josepho

sepho & Interpretibus Alexandrinis, quod quidam *Rationale* reddunt, mallem tamen a notione *sermonis* quam *rationis* deducere, quum λόγος utrumque significet: quia Deus cum Pontifice, hoc שֵׁן induto, loquebatur. Λόγιον κρίσεων Cyrillo dicitur *lib. xi. de ador. in spir. & ver.* id est, שֵׁן הַמִּשְׁפָּט. Constabat ex eadem materia qua Ephod, longum & latum tres palmos (*Exod. 28:16.*) quando erat duplicatum, quodque *ornamentum* & חֲשִׁיט aptius quam בִּגְד, *vestis*, appellatur, quatuor annulis instructum, quos duae catenulae aureae supra, vittae hyacinthinae infra, cum Ephod connectebant. Huic insertae erant 12 gemmae per 4 ordines digestae, quibus insculpta erant nomina filiorum Israëlis, quas ipsas nomine אֲוֵרִים וְתַמִּים appellatas fuisse videtur liquere ex *Exod. 35:30.* & collatis *Exod. 39:10.* & *Exod. 8:8.* licet alii putent ea esse distinguenda, ex eo quod legitur *Exod. 28:17.* & *30.* Aliquando & אֲוֵרִים, non adjecta voce תַּמִּים nuncupantur *Num. 27:21.* IV. *Lamina* aurea praetensa cidari, צִיץ dicta, πέταλον, & ἱλαστήριον in Lexico Graeco-Hebraeo Origenis (nam *Lamina* haec quaedam expiat צִיץ מִדָּצָה *Gem. Hier. Foma.*

Joma. 39:1. Vide *Exod.* 28: 38.) cum inscriptione ליהוה קדש quaeque vittis hyacinthinis cidari adnectebatur. *Gem. Succa.* 5: 1. *Gem. Hier. Joma* 41: 3. *Gem. Hier. Megilla.* 71: 4.

XI. Vestibus hisce indutus erat Pontifex Max. quum Sacris operabatur in Templo. *Exod.* 38: 3. In Urbe extra מקדש non licuit Sacras vestes gerere, sed ordinarias: quare si Templo vellet egredi vestes Sacras exutas deponebat in conclavi suo, quod in Atrio erat, & vestibus induebatur, quae eum a reliquis haud distinguerent. *Act.* 23: 5. At post relegatum Archelaum, quum Judaea in provinciae formam redacta est, in turri Antoniae hae vestes a Romanis servatae sunt, unde depromptae quater in anno in tribus רגלים & die expiationis Pontifici Max. tradebantur. Poterat autem Pontifex Max. quotidie, si vellet, eas induere & Sacris operari, easque toto illo die (noctu enim non licuit) gerere, quamvis ministerium Sacrum peractum esset, modo Templo non egrederetur, id est, dum erat במקדש, in Aede Sacra scilicet, aut in Atrio magno. Si vero usu essent detritae vestes aureae P. M. abscondebantur, nec adhibebantur,

tur, ut vestes Sacerdotum, ad ellychnia lampadum: vestes autem albae abscondebantur, ubi semel iis usus fuisset P. M.

§. XII. Sacrificium inaugurale Pontificis.

XII. Praeter haec inaugurabatur Pontifex Maximus Sacrificio, quod describitur *Exod. 29: 1. & Levit. 8: 2.* Hoc Sacrificium Impletionis appellatur, & inde nomen habent *septem dies impletionis*, שבעה ימי המילאים *Gem. Hier. Foma. 38: 3. Gem. Hier. Sota. 22: 3.* & aries ipse offerendus nuncupatur *Exod. 29: 24.* אילים *aries impletionum*, quod ablegmina & armus dexter cum pane, placenta & lagano, imposita volae manuum Aaronis agitarentur *Lev. 8: 27.* Atque ita *2 Chr. 13: 9.* Sacerdos vitio creatus legitur סלא ידו בפר *Juvenco implevisse manum suam:* quamvis non desint, qui putent *impletionis* nomine designari inductionem vestium Sacrarum, aut actum inaugurationis.

§. XIII. Nuptiae.

XIII. In nuptiis contrahendis distinguebatur Pontifex Max. a reliquis Sacerdotibus, quod his quidem permissum fuerit cum viduis inire matrimonium, illi nequaquam, *Lev. 21: 14. collat. comm. 7.* atque ita nec fratris sui viduam jure Leviratus ducere poterat. De hoc jure agitur *Deut. 25: 5.* ubi frater renuens ducere uxorem fratris, sine liberis

liberis defuncti, publice jubetur excipi sputo & exui calceo: qui ritus confundendus non est cum publica calcei exutione usitata in emtione venditione. *Ruth. 4. 7.* Quod porro quidam existimant non extra tribum Leviticam licuisse Pont. Max. uxorem ducere, non videtur probabile. Licuit certe aliis omnibus extra tribum suam inire matrimonia, solis iis exceptis per quas haereditas ex una tribu ad aliam transferretur. Vide *Num. 27: 8. & 36: 8.* & quod ad Pontifices attinet, nusquam illi ab hoc communi jure excluduntur, & Jojada Pont. Max. sororem Regis Judae Ochoziae uxorem duxit, *2 Reg. 11: 1.*

XIV. Solo polluebatur Pontifex mortuo quem *מת מצוה* vocant Judaei: veluti si in via cadaver insepultum reperiat. Non autem polluebatur Pontifex Max. propinquis suis defunctis, uti reliqui Sacerdotes *Lev. 21: 11. Nazir. 7: 1.* & licet in luctu constitutus Sacris operari poterat, quum alii Sacerdotes, accepto nuncio de morte propinqui quem lugere debebant, sacrificium licet inchoatum perficere non possent, quamvis tempore luctus Sacris vesci Pontifici Maximo non magis quam Sacerdotibus licuerit. *Lev. 10:*

§. XIV.
Luctus,
scissio ve-
stium, &
nudatio
capitis.

19. *Deut.* 26: 14. Praeterea nec e domo sua vel Templo egrediebatur, nec vestes suas lacerabat, *Lev.* 21: 10. quod Judaei ita intelligunt, non scidisse eum vestes suas, uti alii solebant, in summo circa humeros *Horaiot.* 111: 5. Confer *Matth.* 26: 65. Nec caput suum denudabat, quam vocem **יפרע** Judaei vulgo interpretantur, nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos ut operta sit cutis. Vide *Hieronimum ad Ezech.* XLIV. p. 1029.

§. XV. Mu-
nus ejus
quotidia-
num.

XV. Offerebantur quotidie a Pontifice Maximo, vel ejus nomine, 12 *Crustula*, **חביתין** *Lev.* 6: 20. composita ex decima Ephae farinae, & imbuta 3 logis olei, quae igne tosta, & in 24 partes divisa, cum pugillo thuris mane & vesperi offerebantur in altari exteriori, igne consumenda ante libamen Sacrificii jugis, ita ut dimidia pars eorum uti & thuris matutino, dimidia vespertino, tempore offerretur. Quae crustula quum quotidie fuerint offerenda, intelligi videntur 1 *Chr.* 9: 31. per **מעשה חביתין** cujus illic mentio fit inter praeparationem aromatis suffitus, & panum propositionis, quae certis temporibus

ribus parari debuerunt, & illi praepositus fuisse dicitur Mattathia Levita. Quod si vellet Pontifex Max. quotidie Sacris operari, suffitum adolere, victimas in altari offerre, &c. poterat. Verum, in primis stante Templo Secundo, non nisi diebus festis plerique hoc munere fungebantur: de qua re quoniam in Parte IV dicemus, illinc assumi possunt, quae ad hunc locum pertinebunt.

XVI. Duo erant praecipue munera, §. XVI. In-
 quae Pontifici Maximo erant propria, interrogatio
 officium diei Expiationis & consultatio per Dei per U-
 Urim & Thummim. De illo dicitur po- rim &
 stea Parte IV. Ad hoc quod attinet, Deum Thum-
 consulebat per Urim & Thummim, ita ut mim.
 in Sancto facie ad Arcam versa & vestibus aureis indutus Deum interrogaret. Nec enim per *כלי הקדש* *vasa Sancta*, quae Phineas *Num. 31: 6.* vivo adhuc Parente in bellum Midianiticum secum tulit, necessario Ephod vel Gemmae Sacrae intelligendae sunt: nec *1 Sam. 30: 7.* David induisse Ephod dicitur, sed id ad eum fuisse delatum; uti nec Saul, *1 Sam. 28: 6.* licet Deum per Urim rogaverit, quod interventu Pontificis fieri potuit & debuit. Oraculum autem hoc Divinum alta voce

editum fuisse quidam existimant, alii perceptum ex fulgore gemmarum & literarum protuberantia, alii denique Pontificem Max. interno Dei verbo & revelatione persuasum fuisse de eo quod Deus roganti responsum vellet, quodque dare Pontifici Deus noluit nisi pectorali hoc & gemmis ornato. Stante autem Templo Secundo oracula per Urim & Thummim edita non fuerunt.

§. XVII.
Pontifex
nonnisi unus.

XVII. Unus tantum erat Pontifex Maximus, proprie ita appellatus, secundum Canonem *Gem. Hier. Sanhedrin. 29:1.* אין סמונים שני כהנים גדולים כאחת. Verum si contingeret Pontificem Maximum inquinari, ita ut ineptus redderetur ad peragendum munus suum solenni die Expiationis, alius ei substituebatur, qui vicariam ei operam praestaret, dicebaturque כהן כשמש, uti ille, cuius erat vicarius, כהן שעבר. *Megilla 1:9.* Hic autem, quod partes Pontificis Maximi egisset, Pontifex quoque Maximus appellabatur: quo sensu in *Avot R. Nathan cap. 35. Gem. Forna. 47. 1. Gem. Hieros. Forna. 38. 4. Gem. Hieros. Megilla. 72. 1.* legitur duos filios Camchiti fuisse כהנים גדולים Pontifices Maximos eodem die, quum,

quum, Simeone Pont. Max. inquinato, frater ejus Juda in S. Sanctorum ingressus est: qualis vicarius Josepho ἕτερος Ἀρχιερεὺς dicitur, uti in *Joma.* 1. 1. & *Gem. Megilla.* 9. 2. כהן אחר. Quapropter quum *Luc.* 3. 2. Annas & Cajaphas Ἀρχιερεῖς appellantur, ea phrasis hinc lucem accipit. Alias quoque Ἀρχιερέων nomen latius patet, & iis qui inter Sacerdotes dignitate eminebant, tribuitur.

C A P. I I.

De Successione Pontificum.

I. **P**ostquam Sacerdotium solis posteris Aaronis tributum est, Aaron quidem primus Pontifex Maximus constitutus est, post cujus mortem cum soli Eleazar & Ithamar filii ejus superessent, Eleazar natu maximus patri successit, Eleazari filius Phineas, atque ita porro, ut in familia Eleazaris Pontificatus permaneret, usque dum in Eli ad familiam Ithamaris transferretur, a qua in Zadoko ad Eleazaridas rediit, & apud hos fuit usque ad captivitatem Babylonicam.

§. I. Pontifices qui ex Eleazaridis qui ex Ithamaridis.

II. Haec

§. II. Catalogus Pontificum ab Aarone usque ad captivitatem Babyl.

II. Haec autem series est Pontificum, qui hoc munere functi sunt ab Aarone usque ad captivitatem Babylonicam, secundum Hebraeorum traditionem, in *Seder olam*.

Aaron.

Eleazar.

Phineas.

Abishua.

Bukki.

Ozi.

Eli.

Achitob.

Achias.

Achimelech.

Abjathar.

Zadok.

Ahimaas.

Azarja.

Joas.

Jojarib.

Josaphat.

Jojada.

Phadca.

Zedekia.

Joël.

Jotham.

Uria.

Neria.

Oshaja.

Sallum.

Chilkia.

Azaria.

Saraia.

Josedek, abductus in Babyloniam,

1 Chr. 6: 15.

Series a Josepho tradita non multum ab hac recedit. Verum si, quod ille & Talmudici tradunt, filii parentibus semper successerint, plane alius catalogus Pontificum conficiendus esset ex *1 Chron. 6:*

3--15.

3--15. ubi genus Josedeki ab Aarone deducitur, & conferendum caput septimum *Ezrae comm.. i. & seqq.*

III. Postquam vero redierunt Judaei ex captivitate Babylonica Josua filius Josedeki Pontifex Maximus creatus est, cui alii successerunt hoc ordine, uti ex scriptis Josephi colligitur, quae hac parte videntur aliis praeferenda.

Ἰησῆς υἱὸς Ἰωσεδέκῃ, τῷ Ἀρχιερέως

Ἰωάκειμος παῖς Ἰησῆς.

Ἐλεάσιβος παῖς Ἰωακείμ.

Ἰῆδας παῖς Ἐλεασίβ.

Ἰωάννης παῖς Ἰῆδα.

Ἰαδδῆς παῖς Ἰωάννης.

Ὀνίας παῖς Ἰαδδῆς.

Σίμων ὁ καὶ δίκαιος ἐπικληθεὶς, παῖς Ὀνίῃ.

Ἐλεάζαρος, ἀδελφὸς Ὀνίῃ.

Μανάσσης ὁ θεῖος Ἐλεαζάρ.

Ὀνίας, υἱὸς Σίμωνος τῷ δικαίῃ κληθέντος.

Σίμων παῖς Ὀνίῃ.

Ὀνίας παῖς Σίμωνος.

Ἰησῆς ἀδελφὸς Ὀνίῃ.

Ὀνίας, ὁ καὶ ἐκλήθη Μενέλαος.

Ἀλκιμος ὁ καὶ Ἰάκειμος κληθεὶς.

Ἰῆ-

- Ἰῆδας ὁ Μακκαβαῖος.
 Ἰωνάθης ἀδελφὸς Ἰῆδα.
 Σίμων, ἀδελφὸς Ἰωνάθ.
 Ἰρκανὸς υἱὸς Σίμωνος.
 Ἀρισόβυλος υἱὸς Ἰρκανῆ.
 Ἀλέξανδρος Ἰανναῖος, ἀδελφὸς Ἀρισό-
 βύλου.
 Ἰρκανὸς υἱὸς Ἀλεξάνδρου.
 Ἀρισόβυλος ἀδελφὸς Ἰρκανῆ.
 Ἰρκανὸς, ὁ τῷ Ἀλεξάνδρῳ, πάλιν Ἀρ-
 χιερεὺς.
 Ἀντίγονος υἱὸς Ἀρισοβύλου.
 Ἀνάνηλος.
 Ἀρισόβυλος.
 Ἀνάνηλος πάλιν Ἀρχιερεὺς.
 Ἰησῆς ὁ τῷ Φάβητος.
 Σίμων υἱὸς Βοηθῆ.
 Ματθίας ὁ Θεοφίλος.
 Ἰωάζαρος υἱὸς Βοηθῆ.
 Ἐλεάζαρος υἱὸς Βοηθοῦ.
 Ἰησοῦς παῖς τοῦ Σιέ.
 Ἰωάζαρος πάλιν ἀρχιερεὺς.
 Ἄνανος υἱὸς τοῦ Ζέθ. Hic est Annas
 memoratus in Evangeliiis.
 Ἰσμάηλος παῖς τοῦ Φαβί.
 Ἐλεάζαρος υἱὸς Ἀνάνη.
 Σίμων παῖς Καμίθ.

Ἰωσή-

Ἰωσήπος ὁ Καϊάφας. Hic est Capharphas, sub quo Christus passus est.

Ἰωνάθης υἱὸς Ἀνάνα.

Θεόφιλος ἀδελφὸς Ἰωνάθης.

Σίμων ὁ Βοηθῶ ἢ Κανθήρας ἐπίκλησις ἦν.

Μαθθίας υἱὸς Ἀνάνα, ἀδελφὸς Ἰωνάθης.

Ἀλιωναῖος παῖς τοῦ Κιθαίου.

Κανθήρας πάλιν ἀρχιερεὺς.

Ἰώσηπος ὁ τοῦ Κανεῖ, ἢ Καμύδης.

Ἀνανίας ὁ Νεβεδαίος.

Ἰωνάθης.

Ἰσμάηλος παῖς Φαβεῖ.

Ἰώσηπος ἐπικαλούμενος Καβεῖ.

Ἀνανος υἱὸς Ἀνάνα. Hic Jacobum Apostolum securi percussit.

Ἰησοῦς ὁ τοῦ Δαμνέως.

Ἰησοῦς ὁ τοῦ Γαμαλιήλ.

Μαθθίας ὁ Θεοφίλος.

Φαννίας υἱὸς Σαμψήλ.

IV. Nicephorus autem Archiepiscopus Constantinopolitanus ita eos recenset in *Chronograph. Compend.* pag. 407. atque ita fere *Chronicon Paschale*, quod vulgo Alexandrinum dicitur, pag. 188. & 208.

§. IV. Ex Nicephoro.

Ἰησοῦς.

Ἰησοῦς.	Ἰωαζάρ.
Ἰωακείμ.	Ἐλεάζαρ.
Ἐλιασοῦμ.	Ἰησοῦς.
Ἰωδαέ.	Ἔσθθ.
Ἰωνᾶν.	Ἰωάζαρ.
Ἰαδδῶ.	Ἀνάνος.
Ὀνίας.	Ἰσμάηλος.
Σίμων.	Ἐλεάζαρ.
Ἐλεάζαρ.	Σίμων.
Μανασσῆς.	Καϊάφας.
Ὀνίας.	Ἰωνάθης.
Σίμων.	Θεόφιλος.
Ὀνίας.	Σίμων.
Ἰάσων.	Ἰωνάθαν πάλιν.
Μενέλαος.	Ἰωνάθης.
Ἀλκιμος.	Ἀιλωνέων ὁ καὶ Ἰω-
Ἰούδας.	σηππος.
Ἰωνάθης.	Ἀνανίας.
Σίμων.	Ἰσμάηλος.
Ἰωάννης.	Ἰώσηππος.
Ἰαενναῖος.	Ἀνανίας.
Ἰρκανός.	Ἰησοῦς ὁ τοῦ Δαμα-
Ἀνάνηλος.	ναίχ.
Ἀρισόβελος.	Ἰησοῦς ὁ τοῦ Γαμα-
Ἀνάνηλος πάλιν.	λιήλ.
Σίμων Βοηθοῦ.	Ματθίας.
Ματθίας.	Φινεές.

V. Verum in Talmude Pontificum §. V. De quorundam mentio fit, quos frustra in catalogo Josephi & Nicephori quaeras. Quapropter scriptores Hebraei vulgo aliam seriem Pontificum stante Templo I I exhibere solent, quae desumpta est ex שְׁעָרֵי צִיּוֹן R. Isaaci de Lattes. Nec tamen Pontifices maximi, quos vixisse constat stante Templo Secundo, & quorum Talmud ipsum meminit, in hoc catalogo omnes recensentur. Speciminis loco sit יוֹחָנָן בֶּן נְדָבָא de quo legitur in *Gem. Kerituth.* 100. 2. nunquam in atrio ex cibis sacris quidpiam superfuisse dum ille viveret. Hic videtur idem esse cum illo qui Josepho *Ἀνανίας ὁ Νεβεδάις* dicitur. Sic פְּנִיָּאל dicitur in *Gem. Gittin.* 58. Pontifex Max. fuisse. Sed in hoc catalogo Pabi filius Phanielis agricolae antepenultimus Pontificum fuisse legitur; Paniel ipse non memoratur. Sic שִׁמְעוֹן Simeï filius Simeonis & frater Oniae, qui in Aegypto celebre fanum erexit, Templi Hierosolymitani acmulum, Pontifex M. fuit, isque commemoratur in *Gem. Menachoth.* 109. 2. Ejus mentio quoque non fit in hoc catalogo nisi sub שְׁמַעוֹן (qui ab Ezra nonus est) lateat. Sunt enim qui Oniae fratrem Simeo-

L

nem

nem nuncupent: atque ita in *Gem. Hier. Foma. 43. 4.* appellatur.

§. VI. Catalogus Pontif. ex Isaaco de Lattes.

VI. Ecce tamen seriem Pontificum Maximorum, uti illam Isaacus de Lattes exhibet, hoc ordine nomina, & aliquando genus, patriamve eorum recensens, quae quia paucis exceptis nomina propria sunt, Latine repetere non est necesse.

יהודה אחיו	עזרא
אלעזר אחיו	יהושע בן יהוזדק
יונתן אחיו	יהויקים
יהודה בן שמעון	אלישוב
הורקנוס	יהודע
ינאי	ידוע
יששכר איש כפר ברקאי	חנניא
Memoratur in <i>Gem. Kerituth. 100.</i>	מנשה
אלכסנדרוס	ואחיו הונא
הורקנוס	שמעון
אנטגנוס	ישוע אחיו
אריסתובלוס	חנניא בנו
הורקנוס אחיו	יוחנן בנו
בן יוחנן	שמעון יתיב מן הגליל
בן הננאל	השמונאי
בן מתתיא	מתתיא בנו
אלישוב	יוחנן בנו
	שמעון אחיו

יהוסף

יהוסף

ענניה

יועזר

יוסף בנו

יהוקאל

ענן

יהושע בן נמלא

*Fevamoth. vi. 4.**Gem. Fevamoth. 61.*1. *Echa Rabbati 71.*

hujus uxor erat Maria filia Baithos.

טבלוס בן הורקנוס

חננאל בן יונתן

אליהועני

שמעון הגדול

יוסף בנו

חנניא

ישוע

ישמעאל

שריה

שמני בני קטהית

Gem. Foma. 47.

1. septem fuisse filii

Camchith leguntur,

atque ita in *Gem.**Hier. Foma 38. 4. &c**Hier. Megilla. 72. 1.*

L 2

VII.

יונתן

היובלוס

חנמאל

מתתיה בן פנחס

ישמעאל

חנמאל המצרי

ישמעאל

שמעון

יוחנן

יהוקאל

פאבי

ישמעאל בנו

*Gem. Hier. Fo-**ma. 40. 4.*

טבאי

יהודה בנו

ענני

אליעזר בנו

פאבי בן פניאל איש

שדה

אלישע

Videtur idem cum

אלשמע בן פיכאי

*Pont. M. Gem. Ke-**rituth. 100.*

ישמעאל בנו הנהרג

על ידי שיטוס

§. VII.
Stante
Templo
Secundo
fuit minor
dignitas
M. P.

VII. Non fuit eadem dignitas Pontificum Maximorum stante Templo II, quae stante Primo fuerat, praecipue circa ejus excidium & illa tempora, quibus Sospitator noster in his terris vixit, quando singulis fere annis contra Dei mandatum novi Pontifices creabantur, & in adolescentes 16 & 17 annorum, hominesque rudes & imperitos, quos Judaei ipsi עם ארץ כג' appellant, hoc munus conferebatur, quibus necesse habebant dicere, *Legetu ipse*, שמא שכחת או שמא שכחת לא למדת *forſitan oblitus es, aut forte nunquam didiciſti.* *Foma.* 1. 3. quique δι' ἀγροικίαν, *prae ruſticitate*, nesciebant quid ipsum nomen Pontificatus ſignificaret, τί ποτε ἦν Ἀρχιερωσύνη, teste Josepho l. 4. 5. *de Bell.* Eligebantur quoque modis illicitis, vel ſortitione facta uti Phani filius Samuelis vid. *Jof. de Bell.* 1v. 5. vel a Regibus, uti Jonathan ab Alexandro filio Antiochi Epiphane, Hyrcanus a Regina Alexandra, Jason frater Oniae ab Antiocho Epiphane, einto Pontificatu & schola instituta ut populus formaretur ad mores Graecorum, sic ut sacerdotes neglecto Templo & sacrificiis, disco & aliis ludis se oblectarent, & ipsius jussu sacra fierent

rent Herculi Tyrio. 2 *Macc.* 4: 7. 19. 24. Judaei quidem scribunt post mortem Pontificis Maximi Ismaelis filii Phabi, *decus & splendorem Sacerdotii*, וְיוֹ כְהוֹנָה (ἱερατικὴν τιμὴν) cessasse, uti est in *Sota.* 1x. 15. Verum jam antea Pontificatus honorem insigniter imminutum fuisse satis liquet quum ex obscurissimi generis hominibus atque indignissimis, & saepe iis qui ex familia Pontificali non erant, eligerentur: quod exempla Alcimi, Ananelis, & aliorum sub imperio Herodum ostendunt. Nec Josephus modo, sed & Talmudici in *Gemara Foma* 9. 1. & 18. 1. & in *Hier. Foma* 38. 3. fatentur stante Templo II Pontifices Max. fuisse pecunia, & malis artibus, promotos, atque impios plurimos, quibus dies paucos Deus concessit, *Proverb.* 10: 27. Sic ut annum non perduxerint ad finem, si Simeonem Justum, qui 40, Johannem qui 80, Ismaelem fil. Phabi qui 10 annos ministravit, & Eleazarem fil. Azariae, qui 11 annos, excipias.

VIII. Hoc ipsum Pontificalis dignitatis decrementum stante templo secundo convenit cum illo statu reipublicae, quem fore sub adventum Messiae crediderunt Judaei. §. VIII. Quod signum erat Judaeis adventus Messiae.

daei veteres. Illo enim tempore quo Messias filius Davidis veniret, frons saeculi esset similis fronti caninae, impudentia crederet, concilium iudicum verteretur in lupanar, & viri in honore constituti nefandis artibus uterentur, uti est in *Gem. Sanhedrin. 97. 1.* & in *Midrasch schir hasschirim. 18. 1. 2.* Quem statum fuisse illius saeculi, gravissimis criminibus immergi, quo Solpicator noster inter Judaeos vixit, ipsa Judaeorum confessio, & scripta Evangelica satis declarant, uti & Messiae ipsius caedes, & subsequuta paulo post poena divina: quae cum illos ante ob plurima peccata eaque maxima (quale idololatria, qua nullum gravius esse ipsi fatentur *אין חטא המור מע'כ'ו'ם*) saepe, sed per exiguum temporis spatium, punivisset, nunc eos, everso Templo & urbe, sine ulla vel minima spe restitutionis, per sexdecim saecula ita afflixit, ut, nisi velum cordibus eorum impositum esset, agnoscere deberent nonnisi ob infandum aliquod scelus, majus omnibus iis quae ante commiserant, & maximum quod concipi potest, Christi necem scilicet, hanc poenam iis a justo Iudice inflictam fuisse. Quod jam olim contra Judaeos urserunt

Hie-

Hieronymus, *in epist. ad Dardanum*, Chry-
 sostomus, *homil. 77. in Matth.* Theodo-
 retus, *quaest. 38. in Deuter.* ad quorum
 aetatem quum quatuor modo saecula ab
 excidio urbis effluxerint, nunc autem tan-
 to plura, fortius nunc premit, quam olim,
 haec argumentatio Judaeos.

C A P. III.

*De variis Pontificum & Sacer-
 dotum ordinibus.*

I. **T**Radunt Judaei, Sacerdotes certis §.I. Gradus
 ordinibus distinctos fuisse, quo- dignitatis
 rum alter altero erat excellentior; atque distincti
 ita duodecim recensent, quorum primus inter Sa-
 cerdotes.
 in maxima dignitate constitutus habeba-
 tur, ultimus in minima. Sunt autem
 gradus dignitatis hi. Vide *Gem. Hier. Ho-
 raioth 48. 2. Gem. Nazir. 47. 2.*

1. כהן גדול המשוח *Pontifex Maxi-
 mus, oleo unctus.* Qui omnes re-
 liquos anteibat. Eo minor erat

2. כהן גדול כרובה בגדים *Ponti-
 fex Maximus solis vestibus Sacris
 praeditus.*

L 4

3. העובר

3. העובר מחמת קרי *P. M. qui fluxu seminis temeratus Sacris non operabatur.* Illi dicebantur עוברים, qui dignitate sua exuebantur, uti Princeps עבר מגדולתו *Horaioth. 111: 1.* De P. M. dicunt quidem in *Gem. Hier. Sanhedrin. 19: 4.* אין מעבירין אותו מגדלותו quod reddam verbis Senecae Philosophi, *magnitudine sua illum non exuunt.* Sc. ad exiguum tempus privatur illo jure quod alias habebat intrandi in adytum, sed plane non exuitur Pontificatu, ut Pontifex in perpetuum esse desinat.
4. עובר מחמת מום *P. M. qui ob vitium corporis ineptu redditus Sacris non operabatur.*
5. כהן משוח מלחמה *Sacerdos unctus belli causa.*
6. סגן *Sagan.*
7. קתולק *Catholicus.*
8. אמרכל *Qui claves atrii habebat.*
9. גזבר *Thesaurarius.*
10. ראש משמר *Caput ephemeriae ea hebdomade ministrantis.*
11. ראש בית אב *Caput familiae eo die ministrantis.*

כהן 12.

12. כהן הדיוט *Sacerdos ιδιωτεύσας*,
 five privatus, nulla dignitate prae
 aliis Sacerdotibus conspicuus. 'Ι-
 διώτης enim hic non notat Sacer-
 dotes illiteratos, hi quippe כהני
 הארץ dicuntur & opponun-
 tur τοῖς כהנים חברים.

At quum dignitas inter has ordine secun-
 da nunquam eodem tempore subsistere
 cum prima potuerit, nec simul Pontifex
 M. oleo unctus & alius solis vestibibus prae-
 ditus fuerit, & qui tertio, quarto, ac quin-
 to loco recensentur, ad tempus aliquod
 solum in ista σχέσει esse potuerint, restat
 octo tantum gradus statos dignitatum inter
 Sacerdotes fuisse, de quorum primo & se-
 cundo, sc. Pont. Max. & de eodem Ponti-
 fice, si contingeret eum pollui, qui ter-
 tium & quartum locum obtinet, quo-
 niam egimus, ad quintum progredimur.

II. Sacerdos castrensis, vel unctus belli §. II. Sa-
 causa כהן משה מלחמה, stante Ta- cerdos ca-
 bernaculo & Templo primo, is Judaeis di- strensis.
 citur, qui oleo unctionis perfusus Israëli-
 tas bellum gesturos monere debuit, non
 alia lingua quam Hebraea, de iis quae
Deut. 20: 2. leguntur. *Sota. viii: 1.* Hunc

in denudatione capitis, scissione vestium, pollutione ex luctu, & nuptiis, parem fuisse Pontifici Maximo, non vero in successione filii, scribunt, & majorem dignitate τῶ Sagan, qui oleo unktionis non erat inauguratus. *Gem. foma. 73:1.*

§. III. Sa-
gan.

III. Proxima illi inter Sacerdotes fuit dignitas *Saganis* סגן הכהנים, qui & *Praefectus Sacerdotum* dicitur, & saepissime Pontifici succedebat. In *Schir tamen Hasschirim Rabba fol. 22:1.* videtur dignitas *Saganis* praeponi dignitati Sacerdotis castrensis: nam ibi de *Elisabetha*, filia *Aminadab*, dicitur eam vidisse maritum suum *Aaronem Pontificem Maximum*, & duos filios suos *Saganes*, & *Phineasum filium filii sui Sacerdotem castrensem*, ופנהם בן בנה משוח מלהמה. Eadem fere leguntur in *Midrasch Coheleth fol. 92:3.* unde & illud discimus, plures simul aut duos certe *Saganes* fuisse, quod duo filii *Aaronis* illic, uti & in *Tanchuma. 55:1.* dicantur סגני כהונה. Sic ut videatur haec vox relationem majorem habere ad Sacerdotes minores, supra quos illi erant סגנים quasi praefecti, quam ad Pontificem Maximum: uti & in *Midrasch Schir Hasschirim. 35:2.* *Israëlitae* dicuntur על סגנים כל

כל באי העולם Seganim *supra omnes venientes in mundum.* Eundem & ממונה *Praefectum* κατ' ἐξοχὴν appellari consuevisse scribunt Judaei, (quod multi putant convenire cum στρατηγῶ τῶ ἱερῶ *Act. 5:24.* qui & προσάτης τῶ ἱερῶ, *2 Macc. 3:4.* nuncupatur, & operam suam addixisse Pontifici, ejus etiam Vicarius constituebatur plerumque, si contingeret illum pollui, & cui dexter incedere solebat: uti liquet ex illis functionibus, quas eum die expiationis obivisse in *Tamid* & *Foma* notatum est; omnes autem reliquos Sacerdotes Sagani paruisse. Hunc stante Templo primo appellatum כהן המשנה *2 Reg. 25: 18.* multi existimant (certe סגן in Codice Sacro aliam significationem habet, ac ei postea datam fuisse constat) in secundo tamen, quum minorem curam Sacrorum gererent Pontificis Max. munus Saganis magis erat necessarium.

IV. קתולוקין, uti R. Nathan, auctor §: IV. *Ca-* Lexici Aruch, ex Talmude citat, vel tholici. קתלקא ut Talmud in *Gem. Hier. Sche-* kalim, cap. 5. exhibet, vel קתאליקי uti scribitur in *Midrasch Schir Hasschirim* 38: 2. constituebantur, ut essent Sagani quod Sagan erat Pontifici Max. Erant hi ad

ad minimum duo, & sunt qui eos thesaurarios fuisse putent. Ben Mussaphia in *Mussaph Aruch* ait hanc vocem in lingua Graeca & Romana *Praefectum* notare, qui prohibitu res omnes, quae ad curam domus pertinent, administrat, איש ממונה על דברי בית וכידו לעשות מה שירצה Hos Martianus Capella *generales praesules*, vel *praestites*, quod praesint gerundis omnibus, diceret. Videtur vox esse Graeca καθολικός, (uti in *Tanchuma* קתליכום clare scribitur) quae in Glossis exponitur *Rationalis*, *Consularis*. *Rationales* appellati sunt illi, qui saeculo Augustaeo Procuratores Caesaris dicebantur, quo sensu illa vox apud Scriptores saeculi tertii & quarti a Christo nato legitur. *Consulares* vero dicti sunt iisdem temporibus, qui provincias Caesaris administrabant, licet Consules nunquam fuissent: & haec nomina tandem latius extendi coeperunt ad Curatores aquarum, rerum privatarum, &c. qui *Consulares aquarum*, *Rationales rerum privatarum*, &c. in *Notitia Imperii*, Sect. 37. & 43. appellati fuerunt. De quibus titulis praeter scripta monumenta antiqua marmora testantur.

V. **אמרכלין** fuere septem, quibus com- §. V. A-
missa erat cura clavium Atrii. Nomen marcalin,
id Persicum esse videtur اسمیر کلید & alii.
אמרכלין *praefectus clavium*. **גוזברין** *γα-*
ζοφύλακες Josepho dicti, *Antiq.* 20: 7.
custodes thesaurorum, vel quaestores, erant
tres. Caput ephemeriae ministrantis prae-
erat universae curiae Sacerdotum quae illa
hebdomade in Templo Sacris operabatur.
Caput autem familiae ministrantis praeerat
uni familiae ex septem Sacerdotalibus quae
illo die functiones suas obibat.

VI. Praeter hos recensent Judaei Prae- §. VI. Prae-
fectos quindecim, sive **ממונים**, qui non fecti varii
e Sacerdotibus semper, sed & Levitis non- sive Me-
nunquam (e quibus Nehemia praefectos munimus.
aerario Sacro creavit *Nehem.* 13: 13.) elige-
bantur: quorum series haec erat: con-
fer *Schekalim.* v. 1.

ממונים *Praefectus temporibus*,
qui & **כרוז** dicitur, uti qui-
dam volunt, vid. *Gem. Foma.* 20:
2. ad cujus monitum unusquisque
in Templo se ad opus suum ac-
cingebat, qui his verbis mane ute-
batur, **עמדו כהנים לעבודתכם**
ולוים לדוכנכם וישראל
למעמדכם

למעמרכם (Ita haec formula ex-
tat in *Gem. Foma. 20: 2.* atque ita
fere in *Gem. Hieros. Schekalim 7:*
4. & in Aruch ad vocem **נְבִינִי**)
*Sacerdotes ad opera vestra, Levi-
tae ad suggestum vestrum, Israëlitae
ad stationem vestram.*

שְׂעָרִים *Praefectus*
claudendis Ianuis & aperiendis,
qui & **בֶּן גִּבּוֹר** dicitur.

הַשּׁוֹמְרִים *Praefectus vigilibus,*
quem & dictum volunt **עַל הַפְּקִיעַ**
(alii existimant hunc conficiendis
ellyphniis e vestibus Sacerdotum
fuisse praepositum, **שְׁהִיָּה כְּזוּיָג**
אֵת הַפְּתִילוֹת. *Gem. Hier. Sche-
kalim. c. 5.*) quod Levitas dor-
mientes verberibus exciperet &
vestes eorum adureret. Confer
Apoc. 16: 15. Appellabatur quo-
que **אִישׁ הַר הַבַּיִת** *Middoth. 1:*
2. *Gem. Tamid. 62: 1.*

הַמְשׁוֹרְרִים *Praefectus cantoribus,*
qui & **עַל הַשִּׁיר** dicitur,
& Levitas canturos unoquoque
die eligebat.

עַל הַצִּלְצַל *Praefectus cymbalo.*

עַל הַפְּיִיסוֹת *Praefectus sortibus,* quae
qua-

quater quotidie ducebantur, ut per eas officia Sacerdotalia distribuarentur.

על הקינים *Praefectus avibus*, qui tur-
tures aut pullos columbarum ven-
debat.

על החותמות *Praefectus sigillis*, qui
accepto libaminum pretio tesseram
dabat deferendam ad praefectum
libaminum.

על הנסכים *Praefectus libaminibus*,
qui ferta & libamina ad Sacrificia
in tesseris notata dabat.

על חולי מעיים *Praefectus aegris*, qui
viscerum doloribus potissimum
torquebantur, quod nudis pedibus
incederent, plurimum carne ve-
scerentur, & aquam biberent.

ממונה על המים & חופר שיחין
Praefectus aquis & puteis.

על מעשה לחם הפנים *Praefectus
conficiendis panibus facierum*. Con-
fici autem debuerent ab Ephemeria
ministrante, quum שתי הלחם
duorum panum Pentecostalium
confectio ex aequo ad omnes E-
phemerias spectaret.

על

Praefectus על מעשה הקטרת
suffitui.

Praefectus velis tredecim
Templi. Quae in Gem. Cetuvoth
106: 1. recententur, ו' כנגד ו'
שערים אח' לפתחו של היכל
ואחד לפתחו של אולם
ב' בדביר ב' כנגדן בעלייה
7 in septem portis Atrii magni,
unum ante portam Sancti, unum
ante portam Pronai, duo ante San-
ctum Sanctorum, & duo in conclavi
superiori.

Praefectus vestibus Sa-
cerdotum, על מעשה בגדי
כהונה.

C A P. I V.

De Sacerdotibus.

§.I. Divisio I. **S**acerdotes, quo nomine posteri duo-
eorum in rum filiorum Aaronis, Eleazaris sc.
24 Ephe- & Ithamaris intelliguntur, a quibus om-
merias. nes familiae Sacerdotales defluerunt, ut
singuli ordine sacris operari possent, divisi
fuerunt in 24 classes, sive Ephemerias,
פלגות

פלגות *Exod. 6: 18.* משמרות, ἐφημε-
ρίδας Josepho dictas. Theodosius Judaeo-
rum Ἀρχηγὸς imperante Justiniano nume-
rum familiarum Sacerdotalium fuisse 22
scribit, secundum numerum librorum Sa-
crorum, uti Suidas narrat ad vocem Ἰησοῦς.
Deuisset scripsisse 24, nam & ita olim (li-
cet alii libros Sacros 22 numerent) nume-
rarunt & cum his ipsis ephemeris Sacer-
dotalibus compararunt Judaei in *Midrasch*
Cohemoth. 121: 3. הספרים עשרים וארבע
המשמרות עשרים וארבע *Libri Sacri*
sunt 24, & tot sunt Ephemeriae. Hiero-
nymus etiam in prologo galeato memi-
nit utriusque numeri & 22 & 24 librorum
sacrorum.

II. Quidam putant 8 a Mose esse in- §. II. Ori-
stitutas, 4 in Eleazaris, 4 in Ithamaris go Ephe-
familia, alii vero 16, quibus David 8 alias meriarum
addiderit, cujus tempore 24 fuisse constat & ordo.
ex *1 Chron. 24: 4.* ex familia Eleazaris 16,
ex Ithamaris 8 desumptas, quarum nomi-
na illic leguntur. Vid. *Gem. Taanith. 27:*
1. & Gem. Hier. Taanith 67: 4. Quum
autem ordo harum Ephemeriarum per ca-
ptiuitatem Babyloniam esset turbatus, &
4 tantum in Palaestinam redierint, *Ezr.*
2: 36. hae divisae videntur in 24 Ephe-
M merias,

merias, eodem servato ordine excepta classe prima, quae olim Jojaribi fuerat, nunc secundae Jedaiiae cesserat, & iisdem nominibus. Quum vero sub Antiocho Epiphane cultus sacer per tempus aliquod cessaverit, licet dein a Juda Maccabaeo restitutus, quia tamen certo nescitur quo ordine tunc coeperint sacris operari & non diu ante Templi II. excidium ob defectum ἀνδρῶν vel ἀμνῶν sacrificium jure intermissum fuerit, non videtur inde ratio firma peti posse ad demonstrandum Sospiatoris nostri natalem.

§. III.
Ephemeriae divisae
in 6 familias.

III. Singula Ephemeria stato tempore (quod nomine ἡμέρων λειτουργίας venit *Luc. 1: 23.*) munus suum obibat per hebdomadem, a Sabbatho initium faciens 2 *Reg. 10: 6.* 2 *Chron. 23: 4.* (quamvis & in festo Paschatis & aliis si opera plurium requireretur, plures adessent & omnes ephemeriae tunc aequale jus haberent ad sacra quae ad festum pertinebant: sed tamen una erat ephemeria, cujus vices erant hebdomade illa, שבת קבוע *Succa. v. 8.*) & unaquaeque Ephemeria in 6 familias vel domos Patrum erat distributa, ab ראש המשמר. Ita ששה בתי אבות הכהנים *sex domus Patrum sacerdotales* memorantur in

in *Gem. Menachoth. 107. 2.* Sic ut singulae suum diem haberent, quo sacris operabantur, & Sabbatho omnes simul. Alii vero inter Judaeos putant septem fuisse domos Patrum. Alii denique putant plures paucioresve domos Patrum in Ephemeris fuisse, & si 5 essent familiae sive domus Patrum, tres ex iis ministrasse tribus diebus, & duas reliquis diebus quatuor; si octo essent, sex ministrasse diebus sex & duas uno; si novem, quinque ministrasse diebus quinque & quatuor duobus. vid. *Gem. Hier. Taamth. 68. 1.* Omnibus autem Sacerdotibus ejus Ephemeriac **אֲנָשֵׁי מִשְׁמֶרֶת** interdictum erat hebdomade illa barbam radere, excepto die quinto ob honorem Sabbathi, commercium cum uxore habere, & vinum interdium bibere, quia forte familiae Sacerdotali certo die ministranti opem ferre cogerentur. Illis vero, quibus certus dies ministerii obtigerat, **אֲנָשֵׁי בֵּית אֵל**, interdictus erat vini usus & die & nocte, quia etiam noctu in altari adeps & renes cremabantur. *Taanith. 11. 7.* Quam constitutionem eo usque nonnulli extendunt, ut putent, si quis Judaeorum sciat e qua familia ortum ducat, ei non licere illa hebdomade, qua

novit familiae suae vices esse in Templo ministrandi, vinum interdium bibere, ne si Deus forte Templum vellet restaurare, illum imparatum offenderet. Hecataeus autem Abderites in Histor. Jud. Sacerdotibus omnibus vini usum in Templo interdictum scribit: διατρέχει δ' ἐν αὐτῶ καὶ τὰς νυκτὰς καὶ τὰς ἡμέρας ἱερεῖς, αἰνείας τινὰς ἀγνεύοντες, καὶ τὸ παράπαν οἶνον ἔπινοντες ἐν τῷ ἱερῶ.

§.IV. Aptitudo Sacerdotum ad munus examinata.

IV. Sacerdotes non admittebantur nisi praevio examine Synedrii magni vel fratrum suorum Sacerdotum. De genealogia legitima constare ante omnia debuit, quam nisi probare possent, arcebantur. *Ezr.* 3: 62. *Nehem.* 7: 56. Ille autem cujus natales legitimi erant, albas vestes induebat, ministrabatque cum aliis. Cuius autem non erant legitimi nigris induebatur & egrediebatur ex atrio. *Middoth.* v. ult. Confer. *Apoc.* 3. 5. Debebant quoque esse edocti a discipulis sapientum, id est, hominibus literatis ritus sacros, mactationem, exceptionem & sparsionem sanguinis, pugillationem &c. ת'ח' מלמדין לכהנים שחיטת והלכות זריקה וקבלה וקמיצה uti legitur in *Gem. Ketuvoth.* 106. I. & *Schir hasschirim Rabba.* 22. I.

V. Sa-

V. Sacerdotes quoque erant vel literati §. V. Discrimen Sacerdotum literatorum & illiteratorum.
 חברים sive תלמידי הכתמים, qui studiis operam dederant, & mundum ab immundo, licitum ab illicito, sacrum a profano accurate distinguere poterant, vel כהנים Sacerdotes illiterati, quasi plebejos dicas. Literati ditiores erant plerumque & frequentiora dona accipiebant illa sc. quae ab Israëlitis dari poterant Sacerdoti cuicumque aliquis vellet: si enim darentur illa Sacerdoti illiterato, incertum erat an legitimo modo ea dona consumpturus esset, adeoque sive huic darentur sive leoni, qui illa pedibus conculcare posset, idem fere censebatur Vide *Midrasch Coheleth. 120:2.*

VI. Quemadmodum autem familiae §. VI. Viri stationis qui.
 Sacerdotales, ita etiam viri ex populo Israëlitico divisi sunt in 24 classes, quarum singulis unus praefectus erat, ut cum unaquaque classe Sacerdotali & Levitica Hierosolymas adscenderent, Sacris adstant, populumque universum, qui Sacrificiis publicis interesse non poterat, nec Atriis Templi comprehendi, repraesentarent, אנשי מעמד viri stationis appellabantur. Horum focii qui in urbibus suis procul ab Hierosolyma disitis, remanserant, tota illa hebdomade cultui divino va-

cabant, Deum orantes, jejunantes, vel legentes Sacrum Codicem.

§. VII. Le-
ges, quas
illi obser-
vabant.

VII. Hi viri stationis, quorum 24 ad minimum Sacris adesse debebant, quatuor dies suae hebdomadae jejunio transigebant, secundum, tertium, quartum & quintum. Sabbatho jejunare non licebat, uti nec die antecedente, ערב השבת, *vespera Sabbathi*, ob honorem Sabbathi, nec primo, ne statim post Sabbathi delicias in molestiam jejunii incidere, vel ne diem Christianis Sacrum aliquo honore prosequi viderentur. Interdictum quoque erat viris stationis, uti & Sacerdotibus ephemeriae ministrantis tota illa hebdomade qua officio suo fungebantur, barbam radere, capillum tondere aut se lavare, ut antequam ministerium suum exordirentur, rasi & bene loti accederent. Excipiebatur tamen dies quintus, quo hic cultus corporis permittebatur, ut honor haberetur secuturo Sabbatho. *Taanith. iv: 3. Gem. Moëdkaton. 14: 1.* eadem ratione, qua quinto die se tondere & lavare licet in illa funesta hebdomade in quam incidit dies nonus mensis Ab, quo Templum primum & secundum dirutum, urbem Bether captam, & alias calamitates sibi obtigisse Judaei tradunt.

VIII.

VIII. Vestes omnibus Sacerdotibus communes, quatuor sunt, constantes ex $\psi\psi$ vel בד , id est, lino (respectu enim materiae utrumque idem est) femoralia, tunica, balteus & cidaris: quarum formam supra indicavimus, ubi de vestibus albis Pont. Max. egimus. Non tamen albae appellari solent, licet ex lino albo tres constiterint, quia balteus Sacerdotum erat variis coloribus distinctus: nec aureae, quod nulla ex iis aurum insertum haberet, uti octo vestes aureae Pontificis, quae nomen aurearum a quatuor ex iis proprie aureis adeptae sunt. Balteus erat יזוּיִשׁ ex lino & lana mixtus, uti & balteus, Ephod, & pectorale Pont. Max. quale vestimenti genus aliis hominibus, & ipsis Sacerdotibus extra Templum interdictum erat *Levit. 19: 19*. Quamdiu in Templo erant, licebat, etiamsi Sacris non operarentur, eas vestes gerere excepto balteo, qui quum ex lino & lana constaret, statim deponendus fuit post ministerium. *Gem. Tamid. 61: 2. Gem. Foma. 69: 1*. Non tamen licebat in iis vestibus dormire, aut capiti eas supponere, quod tamen alii affirmant. *Tamid. 1: 1*. Servabantur hae vestes in Conclavi, (putatur fuisse Conclave Phineasi)

M 4

ubi

ubi singulae classes Sacerdotales 4 arcas habebant custodiendis 4 vestibis destinatas. Tritae autem & lacerae inerviebant conciens ellychniis lychnorum Sacrorum tum in Sancto, tum in Atriis, *Gem. Schabbath. 21: 1. & 79: 2.*

§. IX. Nuptiae eorum & tonsura.

IX. Interdictum erat Sacerdotibus nuptias inire cum repudiata, & הלוצה quae calceum exuit, quia a leviro repudiatur. *Sota VIIII: 3. Kiddushin IIII: 12.* Interdicta quoque erat Sacerdotibus profanata, per quam Hebraei intelligere solent natam ex faemina Pontifici Max. interdicta veluti vidua alterius Pont. Max. denique scortum. *Levit. 21: 7.* Viduae autem permissae erant Sacerdotibus, & soli Pont. Maximo interdictae. Frustra opponitur *Ezech. 44: 22.* ubi Sacerdotes dicuntur non iniri conjugium cum viduis & repudiatis, quum ex verbis additis liqueat viduas Sacerdotum iis permissas fuisse, nec ibi de jure quod a temporibus Mosis inter Judaeos obtinuit agatur, sed saeculis futuris. Nec Josephus nobis obest, quoniam *Ant. III: 10.* viduas Sacerdotibus permissas, soli autem Pontifici negatas, scribit. Praeterea calvitiam capiti inducere non licebat, aut angulum barbae auferre, aut caput

put פרוץ *Levit.* 10: 6. nudare (alii, crines alere) quod ita Judaei intelligunt, non licuisse Sacerdoti crines omnes abradere, aut comam ultra trigesimum diem alere, sic ut tonderi singulo mense semel debuerit. Ut autem bene culta & rasa ad opus accederet quaelibet classis, interdictum erat capillos tondere aut lavare vestimenta illa hebdomade qua ministrabat.

X. Sacris operaturus justae debebat esse aetatis, & licet a prima pubertate aptus videretur ad Sacerdotium, tamen Sacerdotes eum in ordinem suum non adlegebant ante annum aetatis 20. *Gem. Chullin. 24: 2.* Hieronymus autem, *prolog. ad Ezech.* aetatem Sacerdotalis ministerii vocat annum tricesimum. Praeterea non debebat esse

1. Cultor idolorum.
2. Ex gente aliena, id est, qui non esset ex tribu Levitica.
3. Vitio corporis laborans (cui tamen ligna feligere licuit. Vid. supra p. 87. Talia vitia 140 enumerant Judaei)
4. Incircumcisus.
5. Immundus.
6. Talis qui vesperam ejus diei exspectare deberet ad lustrationem suam.
7. Qui expiatione indiget (vid. supra, pag. 77.)
8. Lugens.
9. Ebrius.
10. Vestibus paucioribus quam par erat indutus.
11. Vestibus pluribus indutus.

M 5 tus.

§. X. 18.
Requisita
in Sacerdotibus.

tus. 12. Veste scissa indutus. 13. Capite nudus. 14. Pedibus manibusque non lotus. 15. Sedens dum Sacris operatur aut se lavat. 16. Qui nuda manu vas non attingit, sed ita ut intercedat aliquid inter manum & vas. 17. Qui solo ita insistit, ut inter pedem & solum aliquid interjectum sit. 18. Qui sinistra manu Sacra peragit.

§. XI. Do- XI. In Gem. Chullin 133: 2. & Gem.
ma 24 Sa- Hier. Challa 60: 2. hoc modo recensentur
cerdoti- 24 dona Sacerdotalia, מתנות כהונה.
bus debita.

עשר במקדש

10 consumenda in Templo.

הטאת *Sacrificium piaculare ex quadrupedibus.*

הטאת העוף *Sacrificium piaculare ex avibus.*

אשם ודאי *Sacrificium pro delicto certo.*

אשם תלוי *Sacrificium pro delicto dubio.*

זבחי שלמי ציבור *Sacrificia salutaria publica.*

של לוג שמן מצורע *Log olei leprosi.*

שתי

שתי הלחם	<i>Duo panes Pentecostales.</i>
לחם הפנים	<i>Panes facierum.</i>
שירי מנחות	<i>Reliquiae fertorum.</i>
מנחת העומר	<i>Manipulus Paschalis.</i>

ארבע בירושלים

4, quorum usus est Hierosolymis.

הבכורה	<i>Primogenita pecudum.</i>
הביכורים	<i>Primitiva.</i>
מורם כזן התודה ומאיל נזיר	<i>Partes elevatae ex sacrificio confessionis & ariete Naziraei, id est, חזה, שוק, וד' חלות, זרוע, חלה, ורקיק, pectus, crus, 4 placentae, armus, placenta, & laganum.</i>
עורות קדושים	<i>Pelles sacrificiorum sanctissimorum.</i>

עשר בגבולין

10, quorum usus licitus est extra Hierosolymas.

(Notandum tamen omnia haec dona 24 aliquando distingui in species duas, scilicet קדשי הגבול & קדשי המקדש vide

de *Midrasch Esther* 127. 3. sic ut tum
גבול fit quodcunque extra atrium magnum
est)

- תרומה *Primitiae.*
 תרומת מעשר *Decimae de decimis.*
 חלה *Placenta. Num. 15: 18.*
Rom. 11: 16.
 ראשית הגז *Primitiao lanae. Deut.*
18: 4.
 מתנות *Dona ex animantibus pro-*
fanis, id est, הזרוע, והלהיים, והקיבה,
armus, maxillae &
ένυσπον sive venter: nam
vetitum est animal ede-
re de quo haec tradita
Sacerdoti non sunt,
 אסור לאכול מבהמה
 שלא תורמה מתנות'
 פדיון הבן *Pretium redemptionis fi-*
lii primogeniti.
 פדיון פטר חמור *Pretium redemptionis a-*
sini.
 שדה אחווה *Ager possessionis. Lev.*
27: 16.
 שדה הרמים *Ager devotus: alii*
 הרמים hic habent,
 שדה non

גול

גול הגר *Rapina profelyti.* Si sc.
profelytus, cujus bona
direpta sunt, moria-
tur, raptor sacerdoti-
bus ea, & quintam
partem, restituit.

XII. Ex his ultimis decem, priora §. XII.
quinque dabantur sacerdotibus omnibus, Quibus Sa-
pro lubitu dantis, posteriora sacerdotibus cerdotibus
ephemeriae ministrantis: quamvis dissen- danda.
sus sit de nonnullis inter doctores Hebraeos.
Nam ita quidam volunt in חרמים
mobilia מטלטלין posse dari כהן
sacerdoti cuivis, sed *immobilia* קרקעות
esse danda sacerdotibus ephemeriae mini-
strantis לאנשי משמר. *Gem. Hier. Chal-*
la. 60. 2. Ita de rapina profelyti disputant
in *Gem. Bava kama.* 109. 2. Confer *Ba-*
va kama ix. 12. Distinguebant tamen in-
ter Sacerdotes literatos & illiteratos, sic
ut haec dari possent לכל כהן *unicuique*
Sacerdoti, sive doctus esset sive indoctus
quia harum rerum sanctitas tanta non erat
ac reliquarum. *Challa.* iv. 8.

חרמים *Res devotae.*

בכורות *Primogenita pecudum.*

פדיון

פדיון הבן *Pretium redemptionis filii.*
 פדיון פ'חמור *Pretium redemptionis a-*
sini.

הזרוע לחיים ו' *Dona ex animantibus*
profanis.

ראשית הגז *Primitiae lanae.*

שמן שרפה *Oleum combustionis: id*
est, Primitiarum pol-
lutarum.

קדשי המקדש *10 res consumendae in*
Templo.

ביכורים *Primitiva.*

C A P. V.

De Munere Sacerdotum.

§. I. Di-
 stributio
 Talmudica
 functio-
 num Sacer-
 dotalium.

I. **F**UNCTIONES Sacerdotum in Gemara
 Chullin fol. 132. 2. recensentur
 quindecim, quibus si addamus tres alias in
 Gemara Sanhedrin fol. 82. 2. memoratas
 erunt octodecim numero & quidem hae.

1. היציקות effusiones olei in ferris.
2. הבלילות permixtiones fertorum
 cum oleo.
3. הפתיות fertorum quorundam
 confractiones in frusta.

4.

4. המליחות salitiones.
5. תנופות agitationes.
6. הגשות adductiones ad angulum altaris notozephyrinum.
7. הקטורות suffitus.
8. המציות expressiones sanguinis avium.
9. קבלות exceptiones sanguinis quadrupedum.
10. הזאות sparsiones sanguinis.
11. השקות סוטה potationes mulieris adulterii suspectae.
12. עריפת עגלה ערופה decollatio vitulae. *Deut.* 21. 6.
13. טהורת מצורע mundatio leprosi.
14. נשיאות כפים benedictio elevatis manibus in Templo מבפנים.
15. ומבהוץ eadem extra Templum peragenda.
16. סדר השלהן ordinatio panum facierum in mensa Sancti.
17. היטיבת נרות aptatio lychnorum in Sancto.
18. קמיצה pugillatio.

II. Nos vero, quandoquidem haec distributio Talmudica omnes functiones Sacerdotum non comprehendit, & videmur quam nos aptius sequemur.

aptius alio loco de quibusdam harum functionum dicturi, scilicet Parte III hujus libelli, ubi de sacrificiis agendum est, hunc ordinem sequi non constituimus. Sed hic persequemur primo munus quo quotidie fungebantur, in offerendis Sacrificiis jugibus, accensione lychnorum, adolendo suffitu, Templi custodia, & inflatione tubarum: dein alia quae non ita quotidiana erant, uti de immunditie & lepra cognoscere, res devotas aestimare, mulierem adulterii suspectam examinare, vitulae decollandae adesse, panes facierum in Sanctum inferre & elatos comedere, vaccam rufam comburere, ac populum scientia rerum divinarum imbuere. His accenseri potest conlectio vasorum sacrorum, a Levitis portandorum, stante Tabernaculo, & portatio arcae foederis, quod tamen Kahathitarum munus erat ordinarium. Sed ter leguntur Sacerdotes arcam tulisse, scilicet quum transiverunt Jordanem, circumiverunt Jerichuntem, & quum arcam in Templum reduxerunt. *Gen. Sota. 33. 2.*

§. III. Quotidianae operae Sacerdotum III. Qua in re opera quotidiana Sacerdotum posita fuerit, colligi potest ex fortibus quae quater singulis diebus in Conclavi

clavi Gazith ducebantur inter Sacerdotes, forte distributae:
 ut unusquisque munere illo, ad quod forte, sive χειροτονία, designatus erat, fungeretur: quo spectat *Luc. 1: 9. κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τὸ θυμιάσαι.* Primo forte designabatur ille qui altare exterius purgaret (non, ut quidam volunt, cineres omnes removeret) quod olim non a sorte sed ab arbitrio uniuscujusque pendebat. *Joma. 11. 1. Tamid. 1. 2.* Secundo sortes ducebantur inter tredecim. 1. Qui mactabat agnum. 2. Spargebat sanguinem ejus. 3. Cinerem removebat ab altari interiori 4. Lychnos aptabat. 5. *Caput & crus posterius* (ראש ורגלו) agni defererebat ad altare. 6. *ב'הידים* *Armos duos.* 7. *הרגל והעוקץ והרגל* *vertebras* extremas cum cauda & *crus* alterum posterius. 8. *הזה* *Pectus & guttur.* 9. *בדפנות* *duas costas.* 10. *קרבים* *intestina*, patinae imposita & *כרעים* *pedes* supra ilia. Nota *כרע* in sacro codice aliquando *crus* significare *Lev. 11: 21.* sed quum de sacrificiis agitur uti *Lev. 8: 21.* notat infimos pedes, *πόδας* uti illic Graeci reddunt, atque ita Judaei vestigia pedum gallinaceorum in pulvere conspicua appellant *כרעי* *דתרנגולא*. 11. Fertum ex simila. 12.

N

הביתין

חֲבִיתִין crustula Pontificis Maximi. 13.
 Vinum libaminis. *Joma.* 11. 3. *Tamid.*
 111. 1. Tertio sortiebantur de adolendo
 suffitu, *Luc.* 1: 10. Qui de eo sortieban-
 tur omnes tales erant, qui nunquam suffi-
 tum adoleverant: nec enim nisi semel eo
 officio fungebantur. Quarto sorte designa-
 batur, qui membra victimae per clivum
 ad altare deferret.

§. IV. Cul-
 tus quoti-
 dianus in
 Templo
 descriptio
 ex *Tamid.*

IV. Ex his aliquo modo cultus quoti-
 dianus in Templo peragendus intelligitur,
 quem ita fere in *Tamid* descriptum habe-
 mus, unde uberior harum rerum explicatio
 petenda est. Sacerdotes in atrium ingressi,
 & in duas turmas divisi, atrium circumi-
 bant accensis facibus (excepta nocte Sab-
 bathi, qua lucernae in Atrio erant accen-
 sae) & circa conclave crustulariorum Pont.
 M. sibi mutuo occurrentes crustularios ex-
 citabant ut crustula conficerent. Altare
 exterius purgaturus, sine lucerna ad la-
 brum se contulit, ubi lotis manibus pe-
 dibusque altare purgabat. Dein alii loti
 fuscinis & palis removebant membra &
 adipem quae consumta non erant, ad la-
 tus altaris, & cineres in cumulum colli-
 gebant. Allatis dein lignis sortiebantur
 de mactatione, &c, uti modo dictum, cu-
 jus

ius tempus advenisse monebantur voce Praefecti, בַּרְקַאי, agnumque adducebant ex conclavi agnorum, adaquatum ex poculo aureo, quod cum aliis 92 vasis aureis & argenteis ex conclavi vasorum petierant. Qui cinerem ab altari interiori tolleret, & qui lychnuchum aptaret, habentes claves duas & vascula טַי & נָי per ostium exiguum ad Septentrionem Portae magnae intrabant in נָי sive conclave, & per illud in Sanctum, cujus portam aperiebant; quo stridore audito maetabatur agnus, qui si ante apertam hanc portam maetatus fuisset haberetur reprobus sive פֶּסוּל. Postea purgato altari, & aptatis lychnis (ad quem actum bis in Sanctum intrasse Sacerdotem volunt, distinctis aliquo intervallo temporum momentis ita ut prima vice 5, altera, duos reliquos concinnaret) exhibant. Maetato autem agno & membris delatis ad clivum altaris, ac salitis, in Conclave Gazith redibant ad legendum טַי.

V. Tum sortiebantur de suffitu, & §. V. Condelatione membrorum victimae ad summum altaris. Quibus vero nulla functio ejusdem sorte obtigerat, vestibis Sacerdotalibus exuti profanas induebant. Qui suffiret ac-

cipiēbat vas **הכף** in cuius medio erat **בז**
 vas suffitu plenum & operculo clausum,
 & cum **מחתה** vel *πυρείω* (vid. *Num.* 16:
 18.) argenteo capaci 4 caborum altare ad-
 scendens prunas accipiēbat, easque ubi de-
 scendisset in *πυρείον* aureum capax caborum
 3 effundebat. Deinde tum ille qui **בז** thure
 plenum gerebat, tum ille qui gerebat *πυρείον*
 (qui forte non erat designatus sed elige-
 batur ab eo qui suffiret. *Gem. Foma.* 25.
 2.) intrabant in Sanctum: & cui munus
 suffiendi contigerat prunis supra altare di-
 positis suffitum ex **בז** immittebat, ad
 vocem Praefecti **הקטר**, quo tempore
 nullus erat in atrio inter Pronaon & alta-
 re, & populus in atrio preces fundebat.
Luc. 1: 10. Postea Sacerdotes hi in gradi-
 bus Pronai constituti populo benedice-
 bant: de quo ritu notandum est, Sacer-
 dotes ephemeriae ministrantis manibus lo-
 tis & sublatis, vel ad altitudinem hume-
 rorum, si P.M. vel altius si Sacerdos vul-
 garis esset, pollice utroque & indice jun-
 ctis, duobus autem minimis digitis a re-
 liquis separatis, coram populo benedictio-
 nem *Num.* 6: 23. pronuntiasse. Sex au-
 tem res erant, quae ineptum reddebant
 Sacerdotem ad benedictionem pronuntian-
 dam

dam, literis his מעש"טל indicatae. 1. מום vitium corporis. 2. עבירה peccatum grave, quale idololatria, homicidium, &c. etiamsi poenitentiam egerit. 3. שנים anni, aetas non legitima. 4. יין vini usus; si quis plus quarta parte Logi biberit. 5. טומאת impuritas. 6. לשון Lingua. In Scholis quoque & Synagogis populo benedicebant Sacerdotes eadem formula, sed nec adeo habebatur ratio Sacerdotis benedicturi ut in Templo, nec nomen יהוה sed ארני pronuntiabatur, nec tres partes benedictionis sine intermissione jungebantur: nec supra humeros manus elevabant. *Sota. VII. 6.* Sacrificium jure vespertinum iisdem ritibus quibus matutinum peragebatur, exceptis fortibus, quae denuo non ducebantur, & benedictione: sed eadem functio iisdem mane & vesperi obtingebat, si suffitum excipias, ad quem novo sortium ductu opus erat. *Gem. Foma. 26. 1.* Et circa vespeream Sacerdotes comedebant suas תרומות *Beracoth. I. 1.*

VI. Verum haud erit inutile haec omnia, ut clarius distinctiusque percipiantur, in tabella proponere secundum ordinem temporis. §. VI. Series horum in tabella proposita.

Ordo Ministerii quotidiani.

SORS PRIMA, qua designatur qui altare exterius mundaret.

Decineratio altaris exterioris.

Dispositio struis primae in foco scilicet majori altaris, qui erat ad ortum.

Dispositio struis secundae.

Apportatio duorum segmentorum ligni imponendorum foco majori altaris.

SORS SECUNDA, qua designantur qui circa agnum & mundationem lychnuchi & altaris interioris versarentur.

Praeparatio agni mactandi.

Apertio portae magnae Sancti.

Jugulatio agni.

Introitus duorum Sacerdotum in Sanctum ad decinerandum altare interius & aptandos lychnos.

Mundatio vel decineratio (דישון) altaris interioris.

Sparasio sanguinis agni ad altare.

Concinnatio quinque lychnorum in lychnucho.

Delatio membrorum agni ad clivum & salitio.

In-

Introitus Sacerdotum in Conclave Gazith ad legendum 'ש'ק.

SORS TERTIA, qua designatur qui suffitum adoleret.

SORS QUARTA, qua is designatur qui membra agni a clivo ad summum altaris, לגבי המזבח, deferret.

Oblatio suffitus in Sancto.

Concinnatio duorum lychnorum lychnuchi sacri.

Delatio membrorum agni ad summum altaris.

Fertum.

Crustula Pontificis Maximi.

Libamen vini, & cantus Levitarum.

Denique quum Sancto egreditur ille qui suffitum adoleverat, in gradibus Pronai constitutus cum aliis Sacerdotibus expectat, donec membra agni consumta sint in altari, & populo benedicat.

VII. Ad munus etiam quotidianum Sacerdotum pertinet Templi custodia. Sacerdotes excubias agebant in tribus locis, uti Levitae in 21, illi quidem ad loca interiora Templi, hi ad exteriora. Loca

§.VII. Custodia Templi.

illa sunt Conclave Abtines, Nitzotz & Beth Moked. In Beth Moked cubabant ordinario capita familiae ministraturae die sequenti, & claves atrii illic servabant. Mane autem Praefectus montis Templi januam Beth Moked pullabat & accepta clave ostium aperiebat, per quod in atrium Sacerdotes intrabant. *Middoth. 1.1. Tamid. 1.1.*

§. VIII.
Buccinas
& tubas
inflare.

VIII. Sacerdotum quoque erat tubas inflare in Templo quotidie: ubi in primis notanda est differentia buccinae & tubarum. *Buccina*, שפר dicta, erat cornu animalis. Vaccae autem cornu nomine שופר non comprehendunt, quod illud קרן appelletur *Deut. 33: 17.* & nunquam dicatur שופר. *Rosch haschana. 111. 2.* Cornu erat plerumque arietis, incurvum. חצוצרות vero sive tubae σαλπιγγες σημασιῶν *1 Macc. 7: 45.* dictae, & Hebraeis סלפינגס in *Midrasch Coheleth. 110. 4. Echa rabbati 56. 4.* ex metallo constabant, & rectae erant; quare aquam buccina, non item tubis, hauriri potuisse Talmudici tradunt. Buccinarum usus in Templo & extra Templum erat: & extra Templum quidem non requirebatur eas inflari a Sacerdotibus, sed & ab aliis fieri poterat. *Jud. 7: 16.* At si in Templo essent

in-

inflandae, ut in festo clangoris & alias, ad Sacerdotes ea cura pertinuit. *Nehem.* 12: 41. *Tubas* autem argenteas duas Moses facere jubetur *Num.* 10: 2. eratque R. Josua Sycanensis in ea opinione has tubas absconditas fuisse vivente Mose, & Josuam sibi alias confecisse, vid. *Midrasch Coheleth.* 110. 4. quia sc. *Num.* 10: 2. legitur לך פשוף *fac tibi*, & *Deut.* 31: 28. nulla fit tubarum mentio. Has Sacerdotes inflabant certis temporibus festis *Num.* 10. 9. & 10. quibus proinde tubarum usus, ut Levitis cymbalorum 1 *Chron.* 16: 42. attribuendus est, uti *comm.* 5. & 6. distinguuntur, & aliis in locis, uti totus populus tubis clangisse dicitur, id est, Sacerdotes per totam multitudinem dispersi. Hae tubae duae in Arcu Titi Vespasiani ante mensam panum sculptae conspiciuntur. Tubis clangebant quotidie 21 vicibus, ter ad apertionem portarum, novies ad libamen vini matutinum, novies ad vespertinum. *Succa.* v. 5. Stabant autem ad mensam adipum in oblatione Sacrificii jugis, & Sacrificiorum (at in Paschate, tempore maetationis clangebant, non ad libamen vini) quae publico vel privato nomine offerebantur in diebus festis (un-

de nonnisi in holocaustis quadrupedum & salutaribus, quae sola libamen requirebant, tubarum usum fuisse colligitur. Praeterea in initio & fine festorum, & temporibus laetitiae vel tristitiae extraordinariis, in jejuniis, praeliis, & triumphis. His autem conjungere usum buccinae in Templo quidem solebant, *Pf. 98. 6.* בהצוצרות שופר וקול שופר & *2 Chron. 15. 14* שופרות: sed extra illud vel buccina vel tubis solis utebantur, secundum hoc Talmudicum בנבולין מקום שיש הצוצרות אין שופר מקום שיש שופר אין הצוצרות. *Gem. Rosb. hasschana. 27. 1.*

§. IX. De immunditie cognoscere.

IX. Sacerdotum porro erat de mundo & immundo cognoscere: quae sane pars officii Sacerdotalis difficillima fuit. Varias autem sunt Immundities, quaedam ex ipsa Dei Lege scripta ortum ducentes, quaedam ex constitutionibus Doctorum Hebraïcorum. Quaedam res immundae sunt, nec tamen alias polluunt, quaedam & immundae sunt ipsae & polluunt alias. Quaedam res purae, uti femina, contactu cadaveris non polluuntur: sed si aqua iis affusa sit, omnino. vide *Levit. 11: 37. 38.* & codicem Mischnicum *Macschirin*, sive de liquidis res ad pollutionem

lutionem disponentibus. Quaedam polluunt hominem, ita ut per diem immundus maneat: quaedam per dies septem, quaedam per mensem, quaedam ulterius. Quaedam polluunt cubili & sedili, quaedam gestatu, quaedam contactu, quaedam tentorio, id est, si quis cum iis in eodem conclavi existat: quaedam pluribus modis ex hisce. Quaedam polluunt homines tantum, quaedam homines & vasa: vasorum scilicet 8 species, vestes, cilicia, testacea, coriacea, ossea, vitrea, metallica, lignea. Quaedam arcebant hominem ab urbibus muro cinctis, quaedam a monte Templi, quaedam ab spatio antemurali, quaedam ab atrio mulierum, quaedam ab atrio magno, & hoc respectu gradus quinque immunditiei sunt in 1. leprosis 2. feminifluis זבים 3. pollutis a mortuo. 4. טבולי יום eo die lotis sed ante vesperam non mundis, & 5. indigentibus piaculo מהסרי כיפורים. Ita ut quid gravissime polluat omni respectu dici vix possit: nam cadaver habetur quidem gravissimum omnium, הומר כולן quod in tentorio polluat. *Kelim.* 1. 4. Sed tamen cadaver non ita polluit res cubili ac sedili utיב sive vir fluxu feminis laborans, qui etiam si

100. panni sibi mutuo impositi essent & contaminasset supremum, omnes pro pollutis haberentur: sed cadaver hominis impositum illis pannis nonnisi tres pollueret.

§. X. Gradus sex immunditiei.

X. Sunt autem *gradus immunditiei*, uti Judaei loquuntur, **מעלות הטומאה**, sex, quorum primus appellatur **אבי אבות** *Pater Patrum*, secundus **אב הטומאה** *Pater immunditiei* (de quibus § seq.) tertius **ראשון לטומאה** *Primum immunditiei* contractae scilicet a Patre immunditiei: & in hoc gradu omnia esse considerantur quae ab aliquo Patre immunditiei polluta sunt, sive homo fuerit, sive vas, sive cibi sive liquores: quartus **שני** *secundum*: quintus **שלישי** *tertium*: sextus **רביעי** *quartum*. Ulterius se non extendunt immundities, & quod praeter Patres est omne **ולד** *proles* immunditiei dicitur, sive sit primum, secundum, tertium aut quartum. Patres polluunt **אדם וכלים** *homines & vasa*: sed proles non nisi cibos & liquores, excepto liquore immundo qui solus inter proles immunditiei vasa polluit. De his autem varii sunt Judaeorum Canones, veluti in Codice *Taborot. 11.3. Scil. de rebus profanis*, **חולין**: quod est primum respectu immund-

munditiei a Patre immunditiei contractae in rebus profanis, sive ראשון בהולין, pollutum est ipsum & alias res polluit, id est, טמא נטמא. Quod est secundum דשני ineptam reddit rem profanam ad esum, פוסל ולא טמא, at non polluit ulterius id est, non reddit eam rem ita immundam ut aliae res ab ea immundentur contactu &c. sic ut פסול alia non polluat. Quod est tertium, comeditur cum jusculo, quicum primitiae mixtae sunt. Et ibidem de primitiis, תרומה. Primum & secundum in primitiis polluta sunt & polluunt. Tertium פוסל ולא טמא ineptas eas reddit ad esum at non polluit. Quartum comeditur cum jusculo cui קדש eibi sacri (de quibus mox) immixti sunt. De קדש sive cibis sacris in atrio comedendis. Primum, secundum, & tertium in cibis his sacris polluta sunt & polluunt. Quartum ineptos hos reddit ad esum, פוסל, sed non polluit. Quintum editur cum jusculo sacro.

XI. Undecim a Judaeis recensentur §. IX. Species undecim immunditiei Legalis, quarum scilicet in Lege Dei scripta fit mentio, omnes excepta lepra ab animali ortum trahentes, suntque i. Immundities reptilis, si scilicet sit unum ex iis octo, quae Levit. 11. 30. enu-

enumerantur. Nam reliqua reptilia, uti
 viperæ, ranæ, testudines, serpentes, munda
 sunt nec polluunt. 2. Cadaveris bestiae, quo
 nomine intelligitur quodvis cadaver ani-
 malium sive mundorum sive immundo-
 rum: ita tamen ut mundum, si rite ma-
 ctatum sit, mundum sit: immundum sive
 mactetur sive morte naturali moriatur im-
 mundum maneat: praeterea quod mundi
 adeps non polluat. 3. Cadaveris humani,
 quo nomine venit vel minima cadaveris
 particula, olivæ magnitudinem superans.
 Nec differt cadaver Israelitæ ab cadavere
 aliarum Gentium, nisi respectu immun-
 ditiei tentorii, quoniam Gentium cada-
 vera non polluunt in tentorio, **אין הגוים**
מטמאין באהל. 4. Concubitus feminis. 5.
 Aquæ piacularis sive lustralis quæ **מי נדה**
 in Codice sacro & **מי הטאת** in Misna ap-
 pellantur, destinatae sc. ut cineri vaccae
 rufæ mixtæ pollutos a mortuis mundent.
 6. Sacrificii piacularis. 7. Mulieris fluxu
 laborantis. 8. Viri fluxu laborantis. 9.
 Menstruatae. 10. Puerperæ. 11. Leprae.
 XII. Solent Judæi de his undecim spe-
 ciebus notare quot modis unaquæque pol-
 luat, & 32 Radices, sive Patres pollutio-
 nis **אבות הטמאה** recensere, quibus op-
 ponun-

§. XII. Pa-
 tres 32 im-
 munitiei
 Legalis.

ponuntur furculi sive *proles pollutionis* וְלִדְּ
 הַטְּמֵאָה. Appellantur autem *furculi* sive
proles, quaecunque ab his *radicibus* sive pa-
 tribus polluuntur. Prima species non nisi
 unum habet Patrem pollutionis, sc.

I. *Reptile* ipsum est pater pollutionis.

II. *Cadaver bestiae* quoque.

III. *Cadaver humanum* novem patres
 complectitur. 1. Cadaver ipsum
 polluit. 2. sepulcrum polluit. 3. ho-
 mo Israëlita (nam Ethnicus nec
 polluitur cadavere nec polluit eo
 respectu) cadavere pollutus. 4. va-
 sa ab ejusmodi homine tacta. 5. va-
 sa cadaver tangentia. 6. homo tan-
 gens vasa illa. 7. vasa ejusmodi ho-
 minem tangentia. 8. vasa quae illa
 vasa tetigerant. 9. tentorium cada-
 vere pollutum.

IV. *Concubitus seminis*. Unus hic pater
 est, ipsum scilicet semen.

V. *Aquae piacularis*, מֵי הַטְּמֵאָה, id
 est, aquae vivae, cui cinis vac-
 cae rufae immixtus est ad mundan-
 dos alios, non nisi unus pater est,
 ipsa aqua scilicet, contacta aut ge-
 stata ab eo qui illa opus non habet
 ante-

antequam scilicet alius ea munda-
tus sit: nam postea non polluit.

VI. *Sacrificii piacularis* tres patres erant.

1. vacca rufa. 2. juvencus & hircus
die expiationis comburendi. 3. hir-
cus azazel. Polluebant enim haec
omnia vestes eorum, qui circa illa
occupabantur.

VII. *Mulieris fluxu laborantis & Viri*

VIII. *fluxu laborantis*, quorum uter-
que septem habebat patres immun-
ditiei. 1. ipsa mulier erat pater im-
munditiei, atque ita etiam vir. 2.
concumbens cum illa vel illo. 3.
sanguis aut semen illius fluxus. 4.
sputum. 5. urina. 6. sedile. 7.
cubile.

IX. *Menstruatae & Puerperae* etiam se-

X. ptem illos habebant immunditiei pa-
tres.

XI. *Leprae* immundities 4 patres im-
munditiei complectitur, qui sunt 1.
Leprosus quatenus erat seclusus. 2.
Leprosus quatenus immundus erat
pronuntiatus. 3. vestis lepra infe-
cta. 4. domus lepra infecta.

§. XIII.
Patres

XIII. Praeter has sex numerant Ju-
daeae species immunditiei, quae comple-
ctun-

Etuntur & ipsae suas *Radices*, five *Patres* immunditiei ex instituto scribarum אבות תיעי ex decreto Doctorum סופרים, scilicet. 1. immundities cadaveris humani. 2. Fluxus זיבות. 3. Menstruatae. 4. Puerperae. 5. Idoli. 6. Cadaveris bestiae. Patres autem immunditiei in his sunt

1. Immundities cadaveris humani; undecim habet Patres. 1. Officulum, quantite grani hordeacei, polluit contactu & gestatu. 2. Terra Gentium. 3. בית הפרס, ager in quo sepulcrum aut cadaver esse aratrum indicat, aut in quo sparsae sunt cadaveris particulae. 4. Sanguis conculcationis, דם תבוסה, qui vel ex vivo vel mortuo homine fluit. 5. Tentorium pollutum sanguine conculcationis. 6. Homo uno ex quatuor modis prioribus pollutus. 7. Vasa quae illum hominem tetigerunt. 8. Vasa quae illa vasa tetigerunt. 9. Homo qui illa vasa tetigit. 10. Vasa quae illum hominem tetigerunt. 11. Vasa quae tetigerunt illa vasa.
 2. Immundities fluxus 9 patres continet.
- O
- Sub

Sub quibus Ethnici comprehenduntur.

3. Immundities menstruatae etiam 9 patres habet.
4. Immundities puerperae eosdem habet 9 patres.
5. Immundities idoli 4 habet patres. 1. ipsum idolum. 2. Quaecunque inserviunt idolo. 3. Quae oblata sunt idolo. 4. Vinum quod ei libatur.
6. Immundities cadaveris duos continet patres. 1. Animal ab extraneo homine, i. e. non Israëlita, maculatum. 2. Cadaver avis munda.

§. XIV.
Numerus
eorum ad
29 redu-
ctus.

XIV. Quandoquidem vero iidem patres fere sunt fluxus, menstruatae, & puerperae, illos nominatim repetere nil attinet: adeoque ad 29 patres, omnes referuntur radices immunditiei ex his 6 speciebus ortae. Undecim scilicet Patres in immunditie cadaveris humani, quatuor in immunditie idoli, duo in immunditie cadaveris, id est, 17 universim, & his adduntur 12 hi. 1. Homo Ethnicus, qui similis habetur homini fluxum passo. 2. Menstruata dies retrorsum numerans. 3. Faemina videns maculam ignotam, re-
tro

tro numerando polluit cubile & sedile.
 4. Faemina quae tempore legitimo se non exploravit, & postea se explorans pollutam cernit. 5. Faemina pariens abortum. 6. Qui cum iis rem habuerit. 7. Sedile earum. 8. Cubile earum. 9. Sputum earum. 10. Urina. 11. Sanguis. 12. Fluxus hominis Ethnici. At semen ejus mundum est.

XV. Inter immundities graviores attentionem singularem Lepra meretur, morbus eo modo, quo describitur Levitici capite 13, solis Israëlitis proprius, & cujus cura atque examen ad solos Sacerdotes pertinuit. Dividitur illa in species duas, Lepram res animatas inficientem, & quae res inanimatas afficit. Lepra res animatas inficiens, est humana, eaque duplex vel capitis vel cutis. Lepra capitis sive barbae זרעת הראש או הזקן duo habet signa. Vide *Lev.* 13:30.

§. XV. De Lepra ejusque speciebus & signis.

1. Maculae depressionem infra superficiem cutis.

2. Pilum fulvum in ea.

Lepra cutis humanae tria signa habet. *Lev.* 13:2.

1. שאת tumorem. Color est instar lanae agni unius diei.

○ 2

2. ספחה

2. ספחה abscessum, ἀπόστημα. Color est instar calcis.

3. בהרת candoris nivei. Confer *Exod. 4: 6.*

Et haec signa particularia. *Lev. 13: 3.*

1. Pilum album redditum.

2. Plagae ad aspectum cute profundio-
rem.

3. Diffusionem.

4. Vivacitatem.

§. XVI.
Leprosi
examen a
Sacerdote
instituen-
dum.

XVI. Si ex his notis edoctus fuerit Sacerdos (qui etiamsi unus esset de lepra iudicium ferre poterat. *Gem. Nidda 50: 1.*) lepram esse, immundum pronuntiabat hominem. Quod si modo בהרת fuerit, nec pilus albus sit redditus, nec plagae ad aspectus cute profundior, secludebat illum hominem Sacerdos continenti septiduo, quo exacto Sacerdos eum accedebat, & si plaga se ulterius in cute non diffudisset, altero septiduo eum secludi curabat. Si nec tum se plaga diffudisset, mundus pronuntiabatur a Sacerdote, & lotis vestibus pro mundo habebatur. Quod si omnino se diffudisset plaga exacto septiduo, Sacerdos eum immundum pronuntiabat & leprosum. Hic autem vestes scissas, uti in luctu,
ge-

gerere, caput nudare (ראש פרוע, quod per capillos alere etiam redditur) barbam superiorem velare, obviis immunditiam suam indicare clamando, טמא, טמא, & extra castra degere, sive extra urbes tempore Josuae muro cinctas, debuit. Nec tamen soli erant & ab omni hominum consortio semoti. Quatuor simul fuisse leguntur 2 Reg. 7. 3. & Christo decem occurrerunt Luc. 17: 12. quid? quod nec ab ipsa Synagoga eos Judaei excludant.

XVII. Sex res requirebantur ad mundationem leprosi. 1. Duo passerres. 2. Lignum cedrinum, 3. Hyssopus. 4. Lana coccinea. 5. Aquae vivae. 6. Vas fictile. Quum enim lepra liberatus esset homo Sacerdos adduci jubebat duas aves mundas ציפורים. Quo nomine Macarius quidem Hom. 47. δύο περιστεράς sive columbas intelligit, Origenes & Hieronymus gallinas, quoniam vulgo Graeci gallinas ὀρνίθας dicerent; sed frustra tunc vox mundarum addita fuisset: & probabile est quod in Gem. Hier. Nazir 51: 2. legitur, omnem avem puram dici Zippor כל עוף ציפורין. Hirundines aut passerres fuisse multi Judaeorum tradunt: alii vero turtures, quod de passeribus dubitent

sintne inter aves mundas censendi. Ha-
 rum avium una mactabatur in vase testaceo
 supra aquam vivam, & sanguini intingeba-
 tur avis altera viva, lignum cedrinum,
 lana coccinea & hyssopus: scilicet li-
 gnum cedrinum longum erat, uti Judaei
 tradunt, pedem & dimidium, crassum
 quartam pedis partem: hyssopus lata erat
 palmum: haec autem lana coccinea erant
 colligata, & extremitates alarum avis vivae
 & cauda circa lignum id & hyssopum fuere
 convolutae, atque ita haec omnia simul
 sanguini intincta fuerunt. Quibus adspere-
 gebat leprosum septies mundumque pro-
 nuntiabat, vivam dimittens avem. *Levit.*
14: 2. His peractis erat adhuc leprosus,
 כֹּפֵרָה כַּחוֹסֵר indigens piaculo, & lotis
 vestibus, raso corpore & loto, in castra
 vel urbes admittebatur, & post dies sep-
 tem iterum vestes lavabat, tondebat cor-
 pus & lavabat. Tum die sequenti, id
 est, octavo, in conclavi leproforum lo-
 tus ad portam Nicanoris tendebat (stante
 Templo 11.) & sacrificium suum offere-
 bat, agnos duos unum piacularem alterum
 pro delicto, & agnam in holocaustum, fer-
 tum trium decimarum similae oleo mixtae,
 & logum olei. Si pauper esset agnum da-
 bat

bat in Sacrificium pro delicto, decimam similiae oleo mixtae & turtures duos, alterum in Sacrificium piaculare, alterum in holocaustum. *Levit. 14: 21.* Quum autem ipsi intrare in Atrium magnum non liceret, nec sanguis Sacrificiorum Sanctissimorum extra Atrium efferi posset, ipse dextram aurem, pollicemque manus dextrae & pedis dextri in Atrium porrigens sanguinem & oleum illita membris illis digito Sacerdotis excipiebat.

XVIII. Lepra quae res inanimatas inficiebat erat lepra vestium & aedium. Lepra vestium non polluit nisi lanam & linum. *Levit. 13: 27. Kelaim. ix: 1.* adeoque pelles ea non inficiebantur nisi lanae adhacreret, uti pelles ovium & caprarum. Indicium hujus erant maculae virides & rubrae, quae si post septiduum seclusionis se diffudissent, judicabatur vestis lepra infecta & comburenda. *Lev. 13: 47.* Lepra aedium (non nisi in terra Canaan, at nunquam Hierosolymis, visa, uti Judaei tradunt) cognoscebatur ex maculis viridibus & rubris, si se diffunderent: tum enim tota domus erat diruenda. *Lev. 14: 45.* at si maculae se non diffudissent, matatione duarum avium & immersione li-

§. XVIII.
Lepra vestium & aedium.

gni cedrini, lanae coccineae & hyssopi in sanguinem alterius ex iis, ut ante, domus mundabatur. *Liv.* 14: 48.

§. XIX.
Res Deo
devotas
aestimare
munus
Sacerdo-
tum.

XIX. Aestimabant etiam Sacerdotes res, personasve quas Deo aliquis voverat, ut certo pretio redimerentur. Ubi tamen distinctio observanda est inter votum simplex נָדָן & חָרָם. Quae posteriori modo erant devota redimi non poterant; sed usui Sacro vel Sacerdotibus cedebant, aut si homines essent mortem subibant. *Levit.* 27: 28. *2 Reg.* 12: 4. At de his votis capite ultimo Partis tertiae copiosius dicetur. Filii quoque primogeniti redempti pretium, 5 sicli, Sacerdoti cedebant. Vide *Lev.* 12. & 15. *Num.* 18: 16. *Exod.* 13: 1, 2.

§. XX. Mu-
lierem So-
ta exami-
nare.

XX. Mulier quoque adulterii suspecta, quam *zelotypicam* nuncupat Hieronymus *comm. in lib. Reg. VII.* adducenda erat ad Sacerdotem, pro qua postquam decima Ephae farinae hordeaceae (sine oleo & thure) fuerat allata, Sacerdos eam in porta Nicanoris collocabat, aquamque e labro aeneo haustam & vasi fictili, admixto pulvere Atrii (ut quidam: alii vero, illo quod in Sancto sub tabula marmorea erat) infundebat. Dein ipsius caput a

Sa-

Sacerdote nudabatur, & ut nonnulli volunt, pars vestium diripiebatur ab eodem. Postea Sacerdos munus in corbe saligna allatum sancto vasi inditum manibus mulieris imposuit, eamque certa formula, exhibita *Num.* 5: 19. & inscripta schedulae, adjurabat, manu tenens aquas amaras. Quantitas aquarum erat dimidium Logi petitum ex Labro Sacro *Gem. Hier. Sota.* 18. 1. Tum corbem e manu mulieris Sacerdos arripiebat, & munus Sancto vasi inditum agitabat, & ad angulum altaris notozephyrinum deponebat, acceptumque farinae pugillum sale conspersum in altaris ignem conjiciebat. Denique uxor aquas amaras imbibebat, si innocens, innoxie: si rea, venter ejus intumescebat, & concidebat femur ejus, eaque solutis crinibus & pectore nudo e templo ejiciebatur.

XXI. Praeterea Sacerdotes aderant decollationi vitulae, quam, si cadaver hominis interfecti in campo inveniretur, & reus lateret, proximae civitatis (quam 5 membra Synedrii magni indicabant) Seniores emere debebant *Deut.* 21: 5. *Sota* 1x. 1. Decollatio fiebat a parte posteriore colli, מאחריה, secus ac in mactatione ordinaria. Hinc Interpretes Alexandrini

§. XXI.
Vitulae decollandae
adesse.

drini reddunt $\eta\rho\upsilon\gamma$ *νενευροκοπημένη*, & Josephus $\tau\acute{\alpha}\varsigma\ \tau\acute{\epsilon}\nu\omicron\upsilon\tau\alpha\varsigma$, id est, tendines cervicales, *κεκομμένη*. Sepeliebatur illa in eadem $\lambda\eta\eta$ valle inculta, nec postea colenda, ubi decollata erat.

§. XXII.
Panis facierum inferre & efferre.

XXII. Sacerdotum quoque erat panes facierum quolibet Sabbatho auferre e Sancto & novos substituere; quod hoc modo fieri consuevisse Judaei tradunt. Intrabant in Sanctum Sacerdotes quatuor, quorum duo duos ordines panum recentium ferebant, duo reliqui duas acerras thuris. Hos anteibant quatuor, qui panes & acerras de mensa tollerent & panes veteres in Pronao deponerent, donec thus in acerris contentum cremaretur addito sale in illo foco e quo prunae suffitus petebantur, & quidem ipso Sabbatho. Sic ut mensae adessent Sacerdotes octo, 4 ad septentrionem (eorum enim ministerium locum honoratiorem postulabat) qui panes recentes apponebant, 4 ad austrum mensae, qui veteres tollerent. Recentibus in mensa dispositis, egressi panes veteres in mensa aurea Pronai reponebant, thus admixto sale adolebant, dein panes partiebantur Sacerdotes accedentis & recedentis Ephemeriae, illi ad aquilonem atrii, ut ostendere-

deretur ministerium illius hebdomadis ad eos pertinere, hi ad austrum, qui dein eos in loco Sancto comedebant. Quum autem panes erant divisi, Sacerdotes Ephemeriae recedentis renunciabant plane sacris, & locum cedebant Ephemeriae accedenti; nec tamen Templo excedebant, quia panes in atrio, loco Sancto, comedi debuerunt & quidem eo ipso die, id est usque ad mediam noctem, quae sequebatur Sabbathum. Hieronymus autem, *commentario ad Malachiam p. 1810.* non tantum curam adferendi & auferendi comedendique Sacerdotibus adscribit, sed *Panes propositionis juxta traditiones Hebraicas ipsos (Sacerdotes) serere, ipsos demerere, ipsos molere, ipsos coquere debuisse* tradit.

XXIII. Inter alia munera Sacerdotalia (licet enim Pontifices M. eo functi fuerint, ut liquet ex *Para. III. 8.* tamen etiam aliis Sacerdotibus id concessum fuit, *Num. 19. 3*) erat quoque combustio vaccae rufae, *§. XXIII: Vaccam rufam comburere.* cujus cineres aqua mixti adhibebantur ad tollendam immunditiam quam aliquis ex contactu mortui contraxerat, *Num. 19. 1 Cor. 15: 29. Hebr. 9: 13.* Vacca haec, colore rufa (quod genus in Palaestina rarum erat, ut liquet ex historia

storia Damae Ben Nethinae, cui vacca
 rufra, singulari Dei beneficio, nascebatur,
 quum jaspidem sub capite parentis sui
 dormientis arcae inclusam dare nollet,
 jaspide ex λογίω Pontificis M. deperdita
Gem. Kidduschin. 31:1. Gem. Avoda Zara.
23:2. Gem. Hier. Pea. 15:3.) integra, &
 expers jugi, publico aere emta, deduce-
 batur a Sacerdote, qui septiduo ante do-
 mo sua relicta in conclave lapidis בית
 אבן (ita dictum a vasis lapideis quae in
 illo erant) ductus fuerat, per כבש (A-
 rabibus الغنجرى suppedaneum) sive viam
 novam arcibus vel fornicibus innixam,
 ad vitandam pollutionem, in הר המשחה
montem oliveti, ubi rogo imposita facie ver-
 sus occidentem mactabatur. Dein sangui-
 nem manu sinistra exceptum Sacerdos occi-
 dentem versus dextrae digito intincto sep-
 tiespargebat e regione Aedis Sacrae, cujus
 Portam intuebatur, per portam Susan &
 alias (per quas non modo ad octavum gra-
 dum Pronai pertingere visu poterat, ut
 quidam scribunt, sed ad ipsam Templi
 Portam) vel trans murum orientalem
 ceteris humiliorem, circa portam Susan.
Middoth. 11:4. vel trans portam Susan per
 reliquas. A constituta republica Judaica
 usque

usque ad urbis excidium non nisi novem fuisse combustas vaccas rufas Judaei tradunt. Prima combusta est a Mose, vel potius vivente Mose ab Eleazare. 2. Ab Ezra, sive ejus jussu; atque ita etiam de reliquis statuendum videtur. 3. & 4. A Simeone Justo ultimo membrorum Synagogae magnae. 5. & 6. A Johanne Pontifice Maximo, qui pater Matathiae vulgo fuisse creditur. 7. Ab Eljehoenai filio Hakkaf. Pont. Max. tempore Simeonis filii Shetach, & Judae fil. Tabbai. 8. A Chanameele Aegyptio Pont. Max. & 9. A successore ejus Ismaele fil. Phabi, qui vixit tempore R. Jochananis Ben Zaccai. Aliis tamen vix videtur vero simile, toto illo intervallo temporis, quod fuit inter Mosem & Ezram, unam vaccam modo fuisse combustam; maxime quum tantum sanguinis in eo effusum sit, & stante Templo secundo 8 numerentur, quod multo brevius spatium est. Cineres hujus vaccae (dicti אפר הטאת, uti & vasculum in quo servabantur קלל של הטאת. *Eduioth. VII. 5. Para. III: 3.*) collecti in tres partes dividebantur. Una in monte oliveti servabatur & inserviebat (postquam aquae vivae injecta esset portio cinerum, ea quantitate

titate ut conspici posset in aquae superficie (tantum enim requirebatur, uti hic ita in pulvere Sotae dato & sputo fratriae. vide *Gem. Hier. Sota.* 18: 1.) adspersioni populi, quae a quovis viro puro fieri poterat, licet Sacerdos non esset, etiam a puero, ut quidam existimant. Altera in Templum delata inserviebat Sacerdotibus. Tertia in חֵטְא sive antemurali servabatur in memoriam exustionis. Alii ita volunt, partem primam in monte oliveti sepositam, inserviisse consecrandis aliis vaccis; alteram extra Templi atrium servatam, ad usum omnium poliutorum contactu cadaveris: tertiam in antemurali locatam ad rei memoriam. Vide *Cod. Para.*

§. XXIV.
Populum
docere.

XXIV. Sacerdotum denique erat, ut & Levitarum, publice docere, Leges Deum coram populo tum Levitis junioribus explicare, & de jure Sacro respondere, *Levit.* 10: 11. *Ezech.* 44: 23. *2 Chron.* 17: 9. *Hagg.* 2: 12. *Malach.* 2: 6. quod munus optime iis conveniebat, qui per omnes tribus erant dispersi, nec agricultura similibusve modis quaerendi victum occupati. Unde ad eos potissimum cura Scholarum & Academiaram pertinuit. In quo tamen officio negligenter se tum Sacerdotes

tes tum Levitas saepe gessisse, nec bene illo functos, liquet ex 2 *Reg.* 22: 10. & Prophetarum querelis *Ezech.* 22: 26. &c. Praeterea ex iis iudices plerumque consti-
tuebantur *Ezech.* 44: 24. 2 *Chron.* 19: 8.

C A P. V I.

De Levitis.

I. **L**evitae, quorum dignitas inter Sa- §. I. No-
cerdotes & Israëlitae media fuit men & in-
(*Horaioth.* 111: 1.) illi omnes dicti sunt auguratio,
qui ex tribu Levi (unde nomen habent,
non a לוי) ortum traxerunt, exceptis po-
steris Aaronis. Dati sunt Sacerdotibus *Num.*
4: 9, 12. & Inaugurabantur adspersione a-
quae, rasione totius corporis, (quae tribus
hominum generibus, leprosis, Naziraeis, &
Levitis, at in deserto solum, a Deo fuit
mandata. *Negaim.* xiv. 4.) lotione ve-
stium & corporis, ac sacrificio juvenci ge-
mini, unius in sacrificium pro peccato, al-
terius in holocaustum, quibus Levitae ma-
nus imponebant, uti vicissim Israëlitae Le-
vitis manus imponebant, & hi agitabantur
a Sacerdote. *Num.* 8: 6-4.

II. Divisi fuere olim in Gersonitas, §. II. Divi-
Kaha-
sio.

Kahathitas, Meraritas, de nomine trium filiorum Levi, quorum munus in translatione Tabernaculi, & numerus describitur *Num.* 4:4. Postea vero, uti Sacerdotes, in 24 classes divisi sunt, quibus totidem Capita praeerant, & quaelibet classis in septem alias, quibus munus suum Caput familiarum assignabat, ita ut per vices singulis hebdomadis ministrarent.

§. III. Aetas.

III. Aetas, qua apti ad munus censebantur, *Num.* 4:3. dicitur fuisse a trigesimo anno ad quinquagesimum: confer *1 Chron.* 23:3. sed *Num.* 8:24. a quinto & vigesimo. Quam differentiam quinquennii Judaei vulgo derivant ex tempore quo Levitae munus suum addiscere debuerunt, scilicet 5 annis. Verum alii putant in posteriori loco Levitas aetatis annorum 25 memorari, quod ibi tantum de ministerio ordinario cantus & excubiarum agatur, quibus juvenes illius aetatis pares erant; sed in priori, de portandis quoque oneribus agi, ad quae Levitae aetate magis proveci & valentiores requirebantur. Quod autem anno 50 dicantur dimittendi, *Num.* 8:25. spectat ea tempora, quibus Tabernaculum transferre debebant: postea enim nec aetas, nec vitia corporis (quae Levitam non

non reddebant ineptum) eum immunem a ministerio praestabant. *Chullin. 1: 6.* Structurae Templi & excubiis Levitae ab anno vigesimo praepositi fuisse leguntur *1 Chr. 23: 24, 27. Ezzr. 13: 8. 2 Chron. 31: 17.*

IV. Vestes eorum fuere distinctae a §, IV. Vestibus Sacerdotum. Id liquet ex *Joseph. stes. Ant. xx: 8.* Lineae tamen, uti אפוד בר *1 Sam. 2: 18.* quo etiam alii induebantur. *2 Sam. 6: 13.* Nec videtur illud Ephod cum Ephod Pontificis Maximi convenisse, sed alterius vestis nomen fuisse: quum & Graeci eam per *σολήν*, & Chaldaeus כרדון tunicam χειροδωτὸν reddiderint. *2 Chron. 5: 12.* comparent *כלובשין בוי* induiti bysso (est hoc optimi lini genus) ubi Graeci reddunt ἐνδεδυμένοι *σολὰς βυσσίνας*, & *1 Chron. 15: 27.* cantores induiti tunica byssina *בוי* fuisse leguntur, & *111. Ezzr. 7: 9.* ἐσολισμένοι & Levitae & Sacerdotes appellantur. Quum autem proficiscebantur per terram Israëliticam, baculo, marsupio, & Libro legis plerumque erant instructi, *Feuamoth. xvi: 7. 2 Chr. 17: 9.*

V. Munus eorum fuit stante Tabernaculo Arcam Dei & vasa Sancta portare. §. V. Munus. *Num. 4: 15. 1 Chron. 15: 2.* deinde inservire Sacerdotibus in rebus Sacris, & a

Davide quidem variae partes iis fuere ad-
 signatae, cura conclavium & atriorum,
 mundationis rerum Sacrarum, ministerium
 domus Dei, cura panum propositionis,
 fertorum, mensurarum, cantus & instru-
 mentorum Musicorum, Sacrificiorum ordi-
 nariorum & extraordinariorum, denique
 excubiarum. 1 *Chron.* 23:28. Quod non
 ita debet intelligi, ac si haec omnia a so-
 lis Levitis fuissent peracta, sed quod Sa-
 cerdotibus in nonnullis horum inservie-
 rint, quatenus, salva Lege Dei, ipsis in-
 servire poterant. Uti in Sacrificiis, non
 quidem spargendo sanguinem (quod Sa-
 cerdotum erat) sed excoriando victimas
 & coquendo atque astando agnos Paschales
 2 *Chron.* 35:11, 14. Ita legimus 2 *Chron.*
 29:15, 16. quum Levitis & Sacerdotibus
 mandata esset cura purgandi Templi & va-
 forum ejus, Sacerdotes solos intrasse ip-
 sam Aedem Sacram, & quae in Sancto
 להצר polluta inveniebant, extulisse
 in Atrium ad Levitas, & Levitas ea de-
 tulisse foras ad vallem Kedron. Confer
 1 *Chron.* 9:32. ubi Kahathitae conficiendis
 panibus propositionis praepositi dicuntur,
 & alii e Levitis operi τῶν חביתין, per
 quod videntur crustula Pont. Max. intel-
 ligenda

ligenda, & cantui & excubiis & portationi vasorum sacrorum: sed praeparatio aromatum suffitus Sacerdotibus assignatur *comm.* 30. Fuere & aliquando praepositi decimis, primitiis, aliisque rebus Sacris conservandis, quas populus obtulit. *2 Chron.* 31: 13. iisque distribuendis *comm.* 14.

VI. Ceterum munus eorum stante §. VI. *Can-*
 Templo praecipue in duobus consistebat, *nere.*
 in Cantu, & Excubiis, *1 Chron.* 25. &
 26. & ita *Nehem.* 10: 29. tantum memo-
 rantur הלויים השוערים המשוררים *cu-*
stodes & cantores. Nam Sacerdotum erat
 ministerium altaris. Cantores, id est, qui
 canerent voce & qui psallerent, a Davide
 in 24 classes fuisse divisos, juxta numerum
 filiorum Asaph, Jedithun, & Heman liquet
 ex *1 Chron.* 25. Cantorum instrumenta Mu-
 sica tria fuerunt נבלין, כנורות, הצלצל
Nablia, 2 ad minimum, cytharae 9, & cym-
balum unum. Neh. 12: 27. & *1 Chr.* 25. 1. &
2 Chr. 5: 12. & *2 Chr.* 29: 25. *Eracin.* 11: 3, 5.
 At ore potissimum canebant, consistentes
 in דוכן suo sive suggesto, *2 Chron.* 20:
 19. *Nehem.* 9: 4. ubi non pauciores quam
 duodecim Levitae erant, *Eracin.* 11: 6. qui-
 bus alii tractantes instrumenta Musica ad-
 stabant, qui non modo Levitae sed & Israë-
 litae

litae genere clari erant. Primo autem die hebdomadis ad motum sudarii Saganis, tempore libationis in Sacrificio jugi, canebant *Pf.* 24. secundo *Pf.* 48. tertio *Pf.* 82. quarto *Pf.* 94. quinto *Pf.* 81. sexto *Pf.* 93. Sabbatho *Pf.* 92. *Tamid.* VII. 4. *Gem. Rosch Hasschana.* 31: 1. & *Midrasch Schir Hasschirim.* 25: 4. Sunt qui putent etiam mulieres in Templo cantasse, quum *Nehem.* 7: 67. שוררות cantatrices memorentur, sed Judaei negant, dicentes ita appellari cantorum uxores: vel possunt intelligi cantatrices aliae, quales *2 Sam.* 19: 35.

§. VII. Et excubias agere.

VII. Vigiles autem Levitae a Davide quoque in 24 classes divisi *1 Chron.* 27. excubias agebant in Templo primo, locis *1 Chron.* 26. memoratis; in secundo, 21 locis, ad 5 portas montis Templi, in monte ad 4 Angulos intrinsecus, ad 4 angulos Atrii magni extrinsecus, & ad 5 portas Atrii (nam portam Nitzotz & ardoris observabant Sacerdotes) uti & conclave oblationis, veli, & post S. Sanctorum. *Gem. Tamid.* 61: 1. *Middoth.* I. 1.

§. VIII.

Docere populum & judicare.

VIII. Praeterea Levitae fungebantur munere docendi populum uti & Sacerdotes, *2 Chron.* 35: 3. *Nehem.* 8: 10. quod a Mose praedictum erat *Dent.* 33: 18. in quem

quem finem videntur dispersi fuisse per regiones ceterarum tribuum, uti Jacobus praedixerat, *Gen.* 49: 7. quo facit *Judic.* 17: 9. Denique Judices erant, שופטים ושוטרים, quos Moses constituere jubetur, & David suo tempore e Levitis elegit, *1 Chron.* 23: 4. *2 Chron.* 19: 11.

IX. Dati sunt Levitis ministri, Nethinaei dicti, quo nomine omnes intelligimus qui aliquando dati sunt Levitis ut iis inservirent. Ita *Num.* 31: 29. Midianitae dicuntur dati Levitis נתתה אותם ללוויים שומרי משמרת משכן יי. Postea etiam Gibeonitae a Josua dati fuerunt toti populo & altari Dei, uti ministri in caedendis lignis & haurienda aqua. *Jos.* 9: 26. Confer *Gen. Jevamoth* 78: 2. Sic ut Nethinaei non e solis Gibeonitis constiterint, sed omnibus qui unquam Levitis dati fuerunt. Verum nomen נתנים ante tempora Davidis non memorant scriptores divino spiritu instincti, qui Levitis ministros hoc nomine dictos dedit. *Ezr.* 8: 20. In conjugii contrahendis par spuriorum & Nethinaeorum erit ratio, sic ut filia Israëlitae interdicta fuerit utrique, uti vidua Pontifici, & repudiata Sacerdotibus. *Jevamoth.* 11: 4. *Kiddushin.* IV. 1. Licet

§. IX. Ministri eorum Nethinaei.

alias spurius Israëlita Nethinaco praeponatur. *Horaioth. 111: 8.*

§. X. Urbes Leviticae & asy-
la.

X. Urbes Leviticae 48 numero recensentur *Jos. 21.* e quibus tamen tredecim Sacerdotibus & triginta quinque Levitis (quatenus a Sacerdotibus distinguuntur) fuere adsignatae. Sacerdotes urbes habuere in locis Hierosolymae vicinis, portione scilicet Judae, Simeonis, & Benjamin. *Jos. 21: 4. 1 Chron. 6: 57.* Inter Levitas Kahathitae 10 urbes, Gersonitae 13, Meraritae 12 adepti sunt. *Jos. 21: 6.* Omnes has 48 Leviticas asyła טל קל יע (quod ibi manus vindicis contraheretur, quum illic homicida tutus usque ad mortem Pont. Max. habitaret, dein liber esset; vel ut alii, quod viae eo ducentes essent brevissimae) πόλεις φυγαδευτηρίων, fuisse Judaei volunt, quum alii 6 tantum ex iis id tribuant. Sex enim, tres cis Jordanem, *Kades, Sichem, & Chebron*, tres vero trans, *Bezer, Ramoth, & Golan*, numerantur, *Deut. 4: 41. Jos. 20: 7. Maccoth. 11: 4.* Has quidem Moses, illas Josua designavit. Confer *Num. 35: 14.* & ipsum illum locum *Josuae 21: 27.* ubi in contextu Graeco omnes 48 urbes Leviticae πόλεις ἀφωρισμέναι τοῖς φονεύσασι
ap-

appellantur, sed in Hebraeo עיר de sola Golan intelligi id jubet, & distinguit a-syla a reliquis urbibus: quemadmodum & *Num.* 35: 6. clarissime 48 urbes in 6 asyla & 42 alias dividuntur. Non tamen idem jus asylorum 6, & 42 fuisse volunt Judaei, sed illa homicidam protexisse, sive gnarum ei esset sive ignarum, loca ista jus asyli habere: haec vero tantum, si id illi gnarum esset; & in illis homicidam pretium pro usu aedium non solvisse, in his omnino: atque tria asyla restare a Mes-sia designanda, quod colligunt ex *Deut.* 19: 8. Denique suburbia bis mille cubito-rum quaquaversum unicuique urbi adsig-nata sunt. *Num.* 35: 4, 5. quorum pars al-tera agros communes, altera proprios com-plectebatur. Confer *Gem. Eruvin.* 56: 2.

C A P. V I I.

De Synedriis.

QUandoquidem, uti mox indicavi-
mus, ex Sacerdotibus & Levitis po-
tissimum Confessus Judicum con-
stabant, ad hunc locum disquisitio de iis
pertinet. Fuisse autem Judaei tradunt tria

§. I. Tria
genera
Concilio-
rum.

P 4 gene-

genera Conciliorum. 1. Synedrium magnum. 2. Synedrium viginti trium virorum. 3. Confessum trium. Praeter quae memorantur quidem בית דין של כהנים *Concilium Sacerdotum. Ketuvoth. 1: 5.* & בית דין של כהן גדול *Concilium Pontificis Maximi. Gem. Hier. Ketuvoth. 28: 3.* sed de quibus vix liquet, & quot membris constiterint & quem in finem fuerint instituta. Sacerdotes autem & Reges intelligendos esse nomine שופטים, uti membra Synedrii per זקנים, tradunt Judaei in *Gem. Sota. 45.*

§. II. Synedrium magnum.

II. Synedrium Magnum, סנהדרין גדולה של ישראל dictum in *Midrasch Schir Hasschirim. 9: 1.* & alibi, non confundendum est cum Concilio dicto כנסת הגדולה *Synagoga magna*, quod perpetuum non erat, & ex 120 viris constabat, & in alium scopum fuit institutum. Erat hoc summum totius populi Concilium, unicum modo, & confidens Hierosolymis, ubi a tempore Simeonis Ben Sche-tach usque ad 40 annos ante excidium Templi Secundi in Conclavi Gazith, & quidem parte ejus quae erat in היל, habebatur, & de causis gravioribus & ad universum populum spectantibus summa cum auctoritate decernebat. III.

III. Tradunt Judaei hoc Synedrium a Mose jussu Dei institutum *Num. 11: 17.* ne in solum Mosen onus judicandi populum recumberet, & rationes quae suadent illud continuatum fuisse temporibus secutis usque ad excidium templi secundi & ulterius hae sunt. I. Quod si Moses Synedrio hoc indiguit, impar ferendo oneri sibi imposito, utique Josua aliique viri pii qui ei successerunt, nec sapientia aequare Mosen potuere aequae, imo magis, Synedrio indiguerint, adeoque non videatur probabile eos voluisse Concilium prudentissime a Mose institutum abrogare, seque ipsos tacite supra Mosen extollere. II. Quia memorantur *Jos. 24: 1. Jud. 2: 7. Ps. 122: 5.* seniores, judices, throni judicii confidentes Hierosolymis: quos judices credibile est fuisse tales quos Deus instituit, potius quam qui aliunde originem & auctoritatem arcesserent. III. Quia rei publicae Israëliticae forma a piis Regibus restituta fuisse legitur ad formam pristinam quam vivente Mose habuit. IV. Quia *Matth. 23: 2.* scribae & Pharisei dicuntur sedere in cathedra Mosis, omnia itaque quae illi mandaverint esse facienda. Ita in Targum *Ps. 45: 1.* appellantur *sedentes*

§. III. Rationes pro antiquitate Synedrii.

יתבי סנהדרין דמושה *in Synedrio Mosis*

V. Quia limitibus suis coërcita fuit potestas Regia, sic ut contra virorum Principum in populo potestatem nil agere posset. *Jerem* 38: 4, 5. Haec potissima sunt quae eo tendunt, ut Synedrii antiquitas & origo a Mose repetatur: quamvis negari non possit, saepe nullum Synedrium in republica Israëlitica fuisse, vel quum reges impii principatum tenerent, vel quum aliis gentibus Israëlitae parere coacti sunt: & per Prophetas divino spiritu instinctos saepe quaedam cum auctoritate facta esse, quae alias ad Synedrium pertinuissent.

§. IV. Rationes contra Synedrii antiquitatem.

IV. Ab altera parte non desunt rationes, quibus hoc Synedrium recens esse nec antiquius temporibus Chasmonaeorum demonstrare conantur. I. Quod in historiis Judicum & Regum nulla plane fiat Synedrii mentio, quae non magis videtur omitti potuisse quam mentio Senatus in historia Romana. II. Quod tempore Judicum saepe in idololatriam sint prolapsi, quodque etiam Reges ita secutus fuerit populus, ut si pii essent, aut impii, ipsi quoque eorum mores sequerentur. Atqui videtur huic crimini Synedrium, si aliquod fuisset, obviam fuisse iturum.

III.

III. Quod & iudices & Reges omnia fecerint pro arbitrio, inconsulto Synedrio: Vide 1 *Sam.* 8: 1. 2 *Sam.* 10: 2. & 1 *Reg.* 3: 16. IV. Quod *Jud.* 21: 25. legatur, Regem non fuisse in populo Israëlitico, ideoque unumquemque fecisse quod volebat. Quibus verbis Synedrium certe eo tempore nullum fuisse ostenditur. V. Quod *Jud.* 19: 29. Levita ad 12 tribus miserit, ut scelus a Benjaminitis commissum vindicarent; non ad Synedrium.

V. Personae in hoc Synedrium adlectae §. V. Membra, ex quibus componitur. (ut Judaei tradunt) Lxxi. fuere. *Sanhedrin.* 1: 6. quapropter in *Echa Rabbati* 59: 2. סנהדרין של שבעה ואחת dicitur. Plerumque erant e tribu Levi, quamvis & si ex illa tribu nullus fuisset legitimum tamen fuisset Synedrium; qui antea in urbibus suis personam iudicis jam sustinuerant, deinde in Synedrio viginti triumvirali montis Templi, tum in illo quod ad ostium Atrii erat, unde tandem in hoc adlegebantur. *Gem. Sanhedrin.* 88: 2. Inter illos eminebat הנשיא *Princeps* vel *Praeses* (qui aliquando, non semper, Pontifex Max. erat) non confundendus cum Academiae Rectore ראש ישיבה, licet serioribus temporibus, quum Synagogae &

& Scholae confundi coepere, ita nonnunquam appellatus sit, & in eandem personam utraque, quamvis distincta, dignitas collata fuerit. Secundus a Praefide appellabatur **אב בית דין** *Pater domus iudicii*, tertius **חכם** *Sapiens*. Hi in Synedrium intrantes diversis ceremoniis excipiebantur *Gem. Horaioth. 13: 2*. Praeterea erant in Synedrio scribae duo, qui vota Judicum in acta referebant, stantes **עומדים** uti legitur in *Sanhedrin. 1v. 3*. At in *Schir Haschirim Rabba* legitur fol. 22. 2. eos sedisse **שני סופרי דיין שיושבים לפניהם**, lictores duo, & nonnunquam rei ipsi vel partes litigantes, aut causarum patroni, & testes duo ab una, duo ab altera parte, & tres ordines candidatorum 23. *Sanhedrin. 1v: 3, 4*.

§. VI. Munus eorum, iudicare, & poenas irrogare.

VI. Decernebat hoc Synedrium de rebus majoris momenti tam Politicis quam Sacris, privatis quam publicis, uti de integra tribu, gerendo bello, Sacerdotibus. *Sanhedrin. 1. 5*. Et Sacerdotes non tantum ac Pseudo prophetas sed ipsos Reges (qui adscisci in Synedrium magnum non solebant, quia eis contradicere non licebat, uti scribunt Judaei) ab eo iudicatos fuisse Hebraei tradunt, ex ejus arbitrio ordinata fuisse

fuisse Synedria minora, & poenas capitales reis irrogatas. Hae autem 4 fuere apud Judaeos, quarum descriptio accurata legitur in *Sanhedrin*. vi. & vii. Lapidatio, combustio, decollatio, & strangulatio, (crucifixio enim poena Judaica non fuit, uti quidam colligunt ex 2 *Sam.* 21:6. *Num.* 25:4. *Jos.* 8:29. *Jos.* 10:26. nam illa suspensio non erat hominum vivorum sed mortuorum, adeoque poenae consequens, non poena) Minores erant, flagellatio 39 ictibus peragi solita 2 *Cor.* 11:24. licet Deus *Deut.* 25:1. quadraginta praecepisset, & excommunicatio, cujus species levior נדוי etiam שמתא dicta fuit, gravior הרם: quibus addi possunt bonorum adjudicatio fisco (*Ezr.* 10:8.) talio, exilium, & carcer. Quarum tamen poenarum irrogatio non ad solum Synedrium magnum sed & minus pertinebat.

VII. Synedrium magnum considerare §. VII: solebat quotidie a sacrificio jugi matutino Tempus. ad vespertinum. *Gem. Sanhedrin.* 88. 2. Synedrium viginti triumvirale & confessus trium confidebat die secundo & quinto hebdomadis, nec ultra horam diei sextam. Sabbathis autem & in ימים טובים non solebant judicare: si tamen judicarent, non

in Atrio sed in היל confidebant.

§. V.III.
Locus Sy-
nedrii M. in
Templo.

VIII. Olim quidem ad ostium Taber-
naculi iudices confedisſe dicuntur *Num.* 11.
24. tam in deserto quam terra Canaan, donec
Templum primum exſtructum eſt. In eo
autem locum Synedrii ex Sacro Codice de-
finiri poſſe ex *Ferem.* 35. 3. quidam pu-
tant, ita ut prope portam orientalem con-
federit, & locus לשכת השרים *Concla-
ve Principum* dictus fuerit. In Templo
Secundo Conclave celeberrimum לשכת
הגוית ei deſtinatum fuit, partim in atrio
partim in היל ſitum, ita ut Iudices for-
ma ſemilunari in parte minus Sancta, ſc.
היל, conſiderent. Vide *Echa Rabbati.* 56.
3. Multi hunc locum λιθόσωλον *Joh.* 19.
13. appellari volunt, ſed nec nomen *Gab-
batha* huic loco datum cum notiſſimo
Gazith convenit, nec tribunal Pilati in
Conclavi *Gazith* fuit, aut ille ut Praeſes,
vel ut iudex, ibi conſidere potuit (illud
enim Judaei, hoc Pilatus paſſus non fuiſ-
ſet) & alia loca fuere Hieroſolymis, quae
λιθόσωλον non merentur.

§. IX. Ante
mortem
Chriſti
transiit in
Tabernas.

IX. Quadraginta annis ante Templi Se-
cundi excidium (quod tempus exit fere in
aere Chriſtianae annum 30) migrasſe di-
citur hoc Synedrium e Conclavi *Gazith*
(quo

(quo tamen rediisse aliquando ad tempus volunt, ut in causa Jesu) in Tabernas חנויות quae in monte Templi erant, quo tempore נפשות דיני נפשות *judicia capitalia* sibi adempta fuisse Judaei conqueruntur in *Gem. Schabbath. 15:1.* quod convenit cum eorum voce *Johan. 18. 31. ἡμῶν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι ἄνθρωπον.* Quibus verbis licet varia interpretatio dari a viris doctis soleat, videntur tamen ita esse intelligenda, uti sonant; non licuisse scilicet Judaeis occidere quenquam. Hoc convenit cum statu Judaeae, quae tum facta erat Romana provincia, legato Archelao, χώρα εἰς ἐπαρχίαν περιγραφεῖσθαι, uti Josephus loquitur. *lib. 11. de Bell. c. 11.* tributa solvebat, soli Caesari se subjectam agnoscebat *Joh. 19. 15.* & a Procuratoribus Caesaris, qualis erat Pilatus, regebatur. Hi habebant jus vitae ac necis, uti ipse Pilatus prae se fert *Joh. 19. 10.* & ex jure ac consuetudine Praesidum & Procuratorum in provinciis Romanis clarum est. Quod si aliquando Judaeorum Synedrium alios condemnavit & jus vitae ac necis exercuit, veluti cum Ananias convocato Synedrio Jacobum condemnavit (vide Josephum *l. xx. Antiq. cap. 8.*) hinc jure factum hoc esse

esse non probatur: hoc enim ipsis non licuisse Romani monuerunt, adeo aegre ferentes absente procuratore Caesaris id factum fuisse, ut Pontificatu propterea Ananiam exuerint. Sic quoque negari non potest Seniores populi Judaici saepe in consilium fuisse adhibitos a Procuratoribus, quum de rebus Judaicis, quarum ignari erant Procuratores, plerumque ageretur, ita tamen ut summa potestas & ἐξουσία ἐπὶ πάντων, ut Josephus loquitur, *Ant.* xviii. i. i. penes Procuratorem fuerit. Confer *Act.* 25. 5. & 15.

§. X. Dein
ad alia loca.

X. Postea translatum est hoc Syne-
drium ex Tabernis ad ipsam urbem Hierosolymam, & inde ad alia loca, quae omnia in *Gem. Rosh haschana* 31. 1. 2. recensentur.

1. לשכת הגזית Conclave Gazith.
2. חנויות Tabernae in monte Templi.
3. ירושלים Hierosolyma.
4. יבנה Jafne. Hic post excidium urbis fuit, Praefide R. Jochanan Ben Zaccai.
5. אושה Usha, vivente R. Gamaliele.
6. יבנה Jafne, iterum, vivente eodem.

7.

7. אושה Usha, virente R. Simeone fil. Gamalielis.

8. שפרעם Sepharam. Hic & praecedenti loco fuit Praeside R. Simeone, filio Gamalielis Jafnensis.

9. בית שערים Beth Shearim. In *Gem. Nidda* 27. 1. videtur כפר שערים nuncupari. Hic & duobus locis sequentibus fuit Praeside R. Juda Sancto. *Gem. Ketuvoth.* 103. 2.

10. ציפורי Zipporis.

11. טבריא Tiberias.

XI. Praesides Synedrii Magni ita Judaei recensent ab Ezra usque ad Rabban Gamalielem filium R. Judae Sancti. §. XI. Praesides Synedrii.

1. Ezra.

2. Simeon Justus.

3. Antigonus Sochaenus, ita dictus a patria urbe Soco סוכו sita in limitibus Judaeae & regionis Philistaeorum. Hujus discipuli Sadok & Baithos sectis Sadducaeorum & Baitho- laeorum nomen & originem dederunt.

Q

Quin-

Quinque זוגות ,

sive virorum paria, quorum prior Prae-
ses Synedrii fuit, posterior אב בר.

Vid. *Chagiga*. 11. 2. ubi tamen Juda
ben Tabbai praeponitur Simeoni ben She-
tach, quia scilicet, uti in *Gemara Chagiga*
16. 2. monetur, ea Misna tantum propo-
nit sententiam R. Meir, quum sapientes,
quos nos heic sequimur, statuunt Simeo-
nem ben Schetach fuisse Praesidem Syne-
drii, & Judam ben Tabbai a Praeside se-
cundum. Nota nec hos decem, nec ullos
antea titulo Rabbi dictos fuisse.

4. Jofe ben Joeser & Jofe ben Jo-
chanan.

5. Jofua ben Perachia & Nittai Ar-
belita.

6. Simeon ben Schetach & Juda ben
Tabbai.

7. Schemaia & Abtalion.

8. Hillel & Schammai. אבות העולם
dicti a R. Simeone ben Jochai. *Gem.*
Hier. Chagiga. 77. 4. qui titulus
Abrahamo & Isaaco datur in *Echa*
Rabbati. 58. 1. Antea Menahem
focius Hillelis fuerat, sed postea
ipse cum 80 paribus discipulorum
se

se Regi Herodi addixit, & tran-
siit לעבודת המלך, qui viden-
tur Herodiani appellati *Matth.* 22.

16. *Gem. Chagiga.* 16. 2.

9. *Rabban Simeon*, filius Hillelis. Quem *Luc.* 2: 25. innui multi putant: sed obstat illum Hilleli parenti suo successisse annis aliquot post Christum natum, id est, annis sexaginta ante Templi excidium: quod quod concipi non potest de viro, qui Christum publice Messiam esse confessus fuerat.
10. *Rabban Gamaliel* filius Simeonis, dictus הוקן *Senior*, cujus mentio fit *Act.* 22: 3. & 5. 34. cujus discipulus erat Samuel Parvus, postea factus apostata; quem multi eundem cum Paulo faciunt.
11. *Rabban Simeon* filius Gamalielis: qui in excidio urbis periit.
12. *Rabban Jochanan ben Zaccai*.
13. *Rabban Gamaliel Jafnensis*.
14. *Rabban Simeon*, filius ejus.
15. *Rabbi Juda Sanctus*, filius ejus.
16. *Rabban Gamaliel*, filius ejus.

XII. Synedrium minus סנהדרין קטנה §. XII. Sy-

Q 2

con-

Synedrium
23 viro-
rum.

constabat ex 23 Judicibus, eratque in omni loco, ubi plures essent incolae quam 120; non universim, sed tales, qui apti erant ad illa munera, quæ mox indicabuntur. Hierosolymis duo erant ejusmodi Synedria, unum ad ostium montis Templi, alterum ad ostium Atrii. *Sanhedrin. 1: 6.* Numerum horum incolarum ita ineunt Gemarici in *Gem. Sanhedrin. 17. 2. sc. 23* Judices, tres ordines 23 virorum, e quibus, ubi opus erat, allegebantur in confessum Judicum (id est, 69 viri) 10 otiosi Synagogae, 2 scribae confessus, 2 lictores, 2 partes litigantes, 2 testes falsi, 2 iis oppositi, 2 alii iis oppositi, collector eleemosynarum, medicus unus, chirurgus, libellarius, lanio, & ludi magister. Nec Sacer Codex nec Josephus Synedrii hujus viginti triumviralis meminerunt, uti nec Confessus virorum trium. Josephus autem Confessus septem Judicum καθ' ἐκάστην πόλιν, in singulis urbibus, mentionem facit *Antiq. iv. 8.* Hoc quoque judicia capitalia exercuit. *Sanhedrin. 1. 4.*

§. XIII.
Confessus
trium,

XIII. Confessus minimus judicum trium nunquam Synedrium appellatur uti priora duo, sed בית דין, eratque in locis, quae 120 incolas istos (de quibus mox)

mox) non continerent. Hi non de causis capitalibus **דיני נפשות** qualis erat blasphemi, & ligna colligentis die Sabbathi, sed levioribus, decernebant; & flagellationem irrogare, non poenas capitales, poterant. *Sanhedrin.* 1: 2. & *III.* 1. *Nidda.* VI. 4. Tales causae erant **דיני ממונות** veluti quum Moses *Num.* 36: 6. de filiabus Zelopchadi, & alibi de immundis qui impediti fuerant Pascha celebrare, judicavit. Vide Targum ad *Levit.* 24. 12. Praeterea erant **דיני קנסות**, quando iudicium ferebatur de mulctis in Lege praescriptis ob damnum passum, veluti si homo homini, bos bovi, bos homini, homo bovi, nocuisse. *Exod.* 21: 18. In hoc confessu quilibet esse iudex poterat, uti spurius, & peregrinus, modo mater ejus Israëlitis fuisset: sed ad iudicia capitalia non nisi Sacerdotes, Levitae, & nobiliores Israëlitae, quibuscum affinitatem contrahere Sacerdotes non detrectarent, aditus patebat. *Sanhedrin.* 1V. 2. *Fevamoth.* XII. 1.

XIV. Ita quidem Israëlitae judicabantur: verum profelyti qui inter Judaeos habitabant, non fruebantur eodem jure, sed vel ab uno iudice poterant judicari, & ad unius etiam propinqui testimonium ad

§. XIV. De
Iudice pro-
felytorum.

Q 3

mor-

mortem condemnari. Quum autem profelytorum nomen duas hominum species notare possit, observandum est hic illos profelytos intelligi, qui גרי תושב five גרי שער, *profelyti inquilini* dicuntur, quibus concedebatur in terra Israëlis (non Hierosolymis) habitare, modo observarent 7 praecepta, data partim Adamo partim Noacho. 1. De vitando cultu siderum. Honore nomini & rebus divinis habendo. 3. Homicidio vitando. 4. Et stupro. 5. Ac rapina. 6. Colendo magistratu. 7. Non edendo membro vivi animalis. Alii erant *profelyti justitiae* גרי צדק dicti *Gem. Bava kama 113: 2.* & *Gem. Jevamoth. 48: 2.* qui & גרים גרורים *profelyti tracti* *Gem. Avoda Zara. 24: 1.* *Gem. Jevamoth. 79: 1.* (confer *Joh. 6: 44.*) & ab Sacris Gentium ad Judaisimum transierant, & pari modo, quo Judaei judicabantur. Hi tribus ritibus initiabantur olim, nunc duobus. 1. Circumcisione. 2. Baptismo, five immersione totius corporis. *Pesachim. viii. ult.* 3. Sacrificio: per quae tria olim Israëlitae in foedus Dei intrarunt. *Exod. 12: 18.* & 19. 10. ac 24. 5. Talem profelytum instar infantis modo geniti Judaei considerant גר שנתגייר כקטן שנולד דמי (in

in *Gem. Fevamoth. 22:1. & 48.2. & 62:1.*)
 sic ut consanguinei ejus quos inter Gentes
 habet, non censeantur ejus consanguinei
 esse. Hinc lucem accipiunt *Joh. 3: 10.*
1 Petr. 1: 23. 2 Cor. 5: 16.

C A P. V I I I.

De Regibus.

I. **D**atum fuisse Israëlitis praeceptum §. I. Man-
 de rege eligendo contendunt Ju- datum de
 daei ex *Deut. 17: 15.* sic ut in ipsa Regis ele-
 petitione non peccaverint, sed petitionis ctione.
 modo & scopo, ut similes essent aliis
 gentibus: quamvis vero similis sit, ibi
 agi de Rege ex Israëlitis eligendo tum
 quum dicerent Regem se velle, qualem
 aliae gentes haberent, non vero juberi
 illic electionem Regis: & *1 Sam. 8: 6, 7. &*
1 Sam. 12. 17. 19. peccatum eorum ipsa Re-
 gis petitio dicatur. Quod si mandatum ipsis
 fuit regem eligere statim ac terram ingres-
 si essent, cur id omiserunt per tot saecula?

II. Aboluerunt ita Israëlitae, electo §. II. Theo-
 Rege, formam regiminis Theocraticam, cratia ante
 qua haecenus usi fuerant: quando sci- Reges.
 licet Deus singulari ratione ea praestitit

Q 4

quae

quae alias Regum esse solent, Leges scilicet politicas ferens, easque poenis sanciens, bellum pacemque indicens, in praeliis antecedens, & signum dans proficiscendi aut manendi, prospiciens iis de annona aliisque ad vitam necessariis, jus dicens ipse in causis gravioribus, in reliquis iudices alios vicarios sibi substituens, aulam suam, ignem, mensam, & ministros in populo Israëlitico habens, & quae plura sunt talia: quare quum regem sibi ex hominibus vellent, Deus se ipsetum agnoscit, ne sit Rex super illos, 1 *Sam.* 8: 7.

§. III. Rex qualis eligendus.

III. Rex debebat esse, non regina, qui Hebraeos regeret, nec ex Gentibus, etiam si inter eas Idumaei fratres Israelitarum respectu originis dicantur. *Deut.* 2: 4. Quare Rex Agrippa, qui מקהל גרים *ex coetu profelytorum* erat, quum publice coram populo legeret, in *Deut.* 17: 15. incidens, generis sui conscius, in lacrymas solvebatur, quem populus hac acclamatione solatus est: אל תירא אנריפם אהינו אתה *Non est quod timeas, Agrippa. Et Tu frater noster es. Et Tu frater noster es. Sota vi. 8.*

§. IV. Unctio Re-

IV. De unctio, qua Reges inaugurabantur, tradunt Judaei eam factam fuisse

se oleo **המשחה**, sive unctionis, ex **קרן** gum, se-
cornu, & quidem juxta fontem *1 Reg. 1:* cundum
33. si Reges essent ex stemmate Davidi- placita Ju-
 co, alios vero oleo **אפרסמון** opobalsami, daeorum,
 ex **פ** lenticula. *Gem. Hier. Schekalim. 9.*
1. Gem. Horaioth. 12. 1. Midras Cohe-
leth. 104. 4. Confer 1 Sam. 10. 1. & 1 Sam.
13: 16. Sic ut secundum hanc opinionem
 Reges hi eodem oleo quo Sacerdotes un-
 cti fuerint: quod tamen videtur repugna-
 re *Exod. 30: 32.* Praeterea nullos Reges
 parentibus suis succedentes unctos fuisse,
 nisi quum lis iis mota fuisset de imperio,
 uti Salomoni per Adoniam *1 Reg. 1: 18.*
 & *39.* Joaso, per Athaliam *2 Reg. 11:*
12. Jehu ob Joramum quem occidit *2 Reg.*
9: 1. Joachazo ob fratrem Jojakim *2 Reg.*
23: 30. Quae tum in Misna tum Gemara
Horaioth. 11: 2. pluribus disputantur, ut
 & in *Gem. Kerituth. 77. 2. & Gem. Hier.*
Sota. 22. 3.

V. Alii vero distinguunt in unctionem §. V. Se-
 privatam & publicam. Privata est praenun- cundum
 ciatio regni futuri, uti quum Samuel *1* alios.
Sam. 10: 1. Saulem unxit, & fiebat per
 Prophetam, & quidem oleo communi.
 Publica est ipse actus Regiae inauguratío-
 nis, uti cum *2 Sam. 2: 4. & 2 Sam. 5:*

3. David primum a viris Judae, dein Israëlitis unctus est. Hanc fieri consuevisse volunt per Sacerdotem. Sic Jojada unxit Joasum, 1 Reg. 1: 45. Sadoc Salomonem. 1 Reg. 1: 39. Haec fiebat oleo, non quidem illo oleo unctionis quo Sacerdotes ungebantur, nec tamen oleo communi, quod urgente necessitate sine dubio adhibuisset Sadoc 1 Reg. 1: 38. & nisi Sanctum fuisset oleum, non tam facile Salomoni Adonia cessisset, aut tanta aedicularum ejus fuisset consternatio. 1 Reg. 1: 49. Sanctum ergo fuit & in loco Sancto asservatum. Ps. 89: 21. uti & oleum lychnuchi Sanctum dicitur, licet non esset oleum unctionis.

§. VI. De Regibus non unctis.

VI. Quod porro Judaei tradunt de Regibus quibusdam non unctis, qui tranquille Parentibus in imperio succedebant, multis non probatur, quum omnes Reges uncti videantur, & voces *Rex* & *Unctus* ut Synonymae passim permutentur, uti & *ungere* ac *constituere* regem. Ita Judaei ipsi משיחה sive *unctionem* dicunt significare Principatum aut magnitudinem, עניין קצינות וגדולה. Confer 1 Sam. 2: 10. Ps. 105: 15. 1 Reg. 19: 15. Jud. 9: 8. 2 Sam. 1: 14, 21. Qui locus ultimus omni emphasi destituitur, si credamus ob solum diffi-

diffidium Reges ungi consuevisse, & videretur indicare Reges illos, quibus lis de imperio mota fuerat, majori quam reliquos, sanctitate gavisos fuisse, quod haud facile quispiam sibi persuadeat.

VII. Officium & Jus Regis describitur, *Deut.* 17: 16. unde liquet, non licuisse ei multos equos alere ad pompam, ne ob hanc quoque causam ad Aegyptios animus eorum inclinaret. Aegyptiis enim Judaei aliique Coelestriae populi maxime erant dediti: τῇ οἰκίᾳ ταύτῃ μᾶλλον αἰέτως οἱ κατὰ κοίλην Συρίαν ὄχλοι προσκυνῶσι, scribit Polybius *Hist.* l. v. Salomon tamen ex Aegypto equos arcessivit *1 Reg.* 10: 29. & postea plurimi Judaei ibi habitaverunt. Nec uxores multas sibi adsciscere licebat, id est, uti Judaei volunt (*Sanhedrin.* 11: 4.) non ultra octodecim tam legitimas uxores, quam pellices, uti colligunt ex *2 Sam.* 3: 2. & *2 Sam.* 12: 8. Nec magnam vim auri & argenti in usus privatos corradere licebat. Exemplum quoque Legis (משנה תורה, per quod alii duo exempla intelligunt) describere jussus est & perpetuo illud secum ferre, ut suos & subditorum suorum mores juxta id componeret. Denique se efferre superbe

perbe supra alios non debuit, sed ab omni fastu semotus mansuetudinem & comitatem Mosis, quae *Num.* 12: 3. celebratur, imitari, in regendis subditis suis.

§. VIII.

Quod jus
diversum
erat a mo-
ribus Re-
gum, a
Samuele
descriptis.

VIII. Longe aliter Samuel describit rationem agendi qua Reges uterentur, qui iis imperarent. *1 Sam.* 8: 11. & appellat eam מִשְׁפַּט הַמֶּלֶךְ (ut *1 Sam.* 2: 13. & alibi) *mores Regum* tyrannicos scilicet & illegitimos, quippe qui directe oppositi sunt Juri Regio *Deut.* 17. descripto, quique si Jus Regis continerent, vineam Nabotho jure suo adimere potuisset Achabus *1 Reg.* 21: 2. Haec autem sex capita ibi memorantur. 1. Filios vestros assumet ut ante currum suum eant, & messem Regis colligant, agros arent, & arma aliaque conficiant; filias, ut cibos & unguenta ei praeparent. 2. Agros, vineas & oliveta optima veris dominis erepta distribuet inter servos suos. 3. Decimas capiet e vineis & agris, & dabit eas servis suis. 4. Servos vestros & ancillas & asinos in usus suos convertet. 5. Decimas capiet de pecoribus. 6. Servi ejus eritis. Confer *Deut.* 20: 11. & *Nehem.* 9: 37. ubi corpora & jumenta subesse regibus & proventum terrae iis cedere inter poenas reputatur.

IX.

IX. Triginta sunt quae Regibus erant § IX. Privilegia Regum. propria. Baal Aruch ad vocem לְלֵוִי ad hunc numerum ea redigit, petita ex *Misna Sanhedrin. cap. 11. misn. 2.* 1. Non judicat. 2. Nec judicatur. 3. Non dicit testimonium. 4. Nec de eo dicitur. 5. Calceum non tradit. 6. Nec alii id faciunt ob uxorem ejus. 7. Non ducit jure leviratus. 8. Nec conjux ejus nubit. 9. Nemo viduam ejus ducit. 10. Si propinquus moritur non egreditur palatio. 11. Ipse in lecto, populus humi accumbit, quum epulum funerale datur. 12. In bellum ducit ex consilio Synedrii M. 13. Diruit itineris causa quod vult. 14. Et viam sibi facit quam latam vult. 15. Offertur ei ex spoliis ut dimidium capiat si vult. 16. Et primus suam partem capit. 17. Uxores habeat, non ultra xviii. 18. Equos ne alat, nimia quantitate. 19. Aurum & argentum ne corradat. 20. Scribat librum legis. 21. Ferat secum in bello. 22. Referat domum. 23. Secum habeat in loco judicii. 24. In lecto. 25. Non equitant super equum ejus. 26. Nec sedent super thronum ejus. 27. Nec sceptro ejus utuntur. 28. Nec nudum eum vident. 29. Nec cum tondetur. 30. Nec cum lavatur.

X.

§. X. Insignia Regum.

X. Ceremoniae inaugurationis & insignia Regum aliquo modo colliguntur ex ludicro ritu quo Judaei Christum Regem salutarunt *Matth.* 27: 28. chlamyde eum coccinea velantes, coronam capiti impo-
nentes, arundinem dantes in dextram, & genu submisso eum Regem nuncupantes. Sic quoque *Philo lib. in Flaccum* narrat de Judaeis Alexandrinis eos quendam, cui nomen Κάραξας, in loco alto constituisse, & diadema papyraceum, βύβλον ἀντὶ διαδήματος, dedisse, & stoream pro chlamyde, χαμαισρωτὸν ἀντὶ χλαμύδος, & frustum arundinis pro sceptro, βραχὺ πάπυρος τμήμα ἀντὶ σκήπτρου, & eum salutasse Μάρων, id est, Κύριον παρὰ Σύροις. Nam *יְהוָה Syris Dominus est.*

§. XI. Auctoritas Regum.

XI. Summa erat auctoritas Regum tam in pace quam bello. Israelite ob haec duopotissimum Reges petierunt *1 Sam.* 8: 20. ut eos judicarent, & bella eorum gererent. Judaei tamen vehementer eam auctoritatem imminuunt, quum penes Syne-
drium Magnum summam rerum fuisse scribunt, nec in id unquam adscitos, nisi qui ei stemmate Davidico ortum ducebant, qui judicabant & judicabantur: *Fe-rem.*

rem. 21: 12. & 22. 3. unde tritum illud,
 de reliquis Regibus סלך לא דן ולא
 דנן אותו *Regem nec judicare nec judica-*
ri. Sanhedrin 11. 2. Dicuntur tamen mem-
 bra Synedrii M. ita pertimuisse Regis prae-
 sentiam, ut cum Jannaecus Rex arcessitus
 a Praefide Synedrium intrasset, iudices sen-
 tentiam suam proferre non auderent, sed
 cogitabundos se simularent, quos Praeses
 Simeon ben Shetach hac voce corripuit,
 בעלי מחשבות אתם יבוא בעל
 מחשבות ויפרע מכם *Num vos cogita-*
bundos fingitis? veniet Deus, qui cogitatio-
nes novit & vos ulciscetur. Gem. Sanhe-
drin. 19: 2. Ibid. 37. 2. est יודע מחשבות
 pro בעל מחשבות quod indicat eo sen-
 su quo nos reddidimus illud esse reddend-
 dum.

C A P. I X.

De Prophetis, & sectis post Pro-
phetas exortis.

I. **P**ROphetarum nomen tribuitur vul-
 go iis qui numine divino afflati fu-
 tura praedixerunt. Sed vox נביאם, qua
 Prophetas vulgo appellantur (nam ante

§. I. No-
men & di-
gnitas.

ראים

ראים dicti sunt, 1 *Sam.* 9: 9.) latioris est significationis, nec ad solam futurorum praedictionem restringenda. *Exod.* 7: 1. quin aliquando per *Interpretem* מתורגמן redditur uti *Exod.* 7: 1. quo multi referunt τὸ προφητεύειν 1 *Cor.* 14: 1. At praecipue illos notat quibus a Deo aliquid revelatur sive res sint praeteritae, praesentes, aut futurae. In V. T. primum Abrahamo id nomen datum legitur, *Gen.* 20: 7. Magnus iis honos ab hominibus piis semper delatus fuit, quum legati essent a Deo missi: & tradunt Judaei nullius mortalium cadaver licuisse Hierosolymis sepelire praeter Reges e gente Davidica & Prophetas. Vide & *Schevuoth.* 11. 2.

§. II. Catalogus eorum ante & post latam Legem.

II. Omnes, quibus id nomen datum est, 48 numero fuisse dicuntur e sexu masculino, & septem ex faeminino. *Gen. Megilla.* 14. 1. Possunt autem commode in duo dividi, respectu temporum. 1. Ante Legem latam. 2. post Legem. Prima periodus complectitur Adamum, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josephum, Jobum, Bileamum &c. Altera Mosen, (quem omnium Prophetarum maximum fuisse, & plura opera miranda praestitisse quam reliquos Prophetas Judaei cre-

credunt) Aharonem, Eldad & Medad, Josuam, illum cujus mentio 1 *Sam.* 2: 27. Samuelem, Nathanem, Gad, Davidem, Salomonem, Ahiam Silonitem, Semaïam, Iddo, Azariam, Oded, Aniam, Jehu, Eliam, Micham, Jahazielem, Eliezerem, Elifam, Zachariam fil. Jojadae, Oded, Uriam, Jonam, Hoseam, Amos, Joëlem, Jesaiam, Micham, Nahum, Habacuc, Obadïam, Zephanjam, Jeremiam, Ezechielem, Haggai, Zachariam, Malachiam, & alios anonymos. Danielelem vulgo Judaei numero Prophetarum eximunt, uti & Davidem ac Salomonem, non, quia nimis clare tempus adventus Messiae praedixit, uti multi putant, sed quia revelationem a Deo ipsi factam *somnium* vocat. Vide *Daniel.* 7. 1. & 8. 27. 1 *Reg.* 3: 15. quamvis Auctor *Seder olam Rabba*, & alii, eum inter Prophetas recensent.

III. Prophetarum ultimus sub V. Test. §. III. De statuitur vulgo & a Judaeis in *Gem. Bava Bathra* 14: 2. & Christianis (quamvis nonnulli iis Zachariam Joannis Baptistae parentem accenseant *Luc.* 1: 14. quem alii Simeoni, Agabo & reliquis N. Test. Prophetis adjiciunt) Malachias, quem R.

Prophetis
sub Tem-
plo II.

R

Jo-

Josua Ben Korcha Ezram, alii Haggaeum, R. Nachman Mordechaicum (in *Gem. Megilla* 15:1.) alii hoc nomine dictum fuisse volunt. Verum Josephus de Juda quodam Esseno *Antiq.* xiiii:19. de Pollione. *lib.* xv. 5. Manahemo, *lib.* xv. 13. Johanne Hyrcano, *lib.* xiiii. 18. narrat eos futura praedixisse, & alii putant credibile non esse spatio quatuor circiter saeculorum Deum hoc dono privasse populum suum, nullis novis criminibus ei invisum; quo referunt *Job.* xi: 50. *Luc.* 2: 26, 27, 36. & argumentum *Psal.* 44. *commate* 7, ubi dicunt Israëlitae se non oblitos fuisse Dei, & *comm.* 18. quum tamen, si hoc respiciat captivitatem Babylonicam, dici nequeat; quoniam ob peccata sua traditi sunt *Nehem.* 9: 30. quare videtur ad tempora Antiochi Epiphanis referendum. Sic quoque *Pf.* 74: 9. dicitur non esse Propheta, & templum igne vastatum, *commate* 7. Concedunt tamen illi Prophetas Canonicos Veteris Testamenti post Malachiam nullos fuisse. Quamvis dici possit illos Psalmos antea compositos describere statum secutorum temporum: sic ut Antiochi tyrannis praedicatur futura, non narretur praeterita.

I V. Quidam Prophetarum defectum Templo Secundo stante compensatum volunt voce coelesti, **קול בת** dicta, *Gem. Sanhedrin. 11: 1. Gem. Jevamoth. 9.* Notat nomen filiae vocis nil aliud quam vocem. Sic Syrus Interpres in principio *Pf. 137.* voces appellet **בנות** filias vocum. Sic Syrus *Hebr. 3: 7. & 15.* modo habet **בנות** modo **בנות**. Confer eundem *Gal. 4. 20. & Rom. 10: 16.* In *Midrasch Cobelet* 120: 1. de lobis pulmonis dicitur inde egredi filiam vocis, id est, vocem, **בנות קול יוצאת** & in *Vajikra Raba*, ubi eadem repetuntur, legitur **בנות קול יוצאת הקול** unde videmus **קול** & **בת** esse idem. Falluntur autem qui putant Bath Kol tantum attribui Templo Secundo. Judaei etiam Abrahami Mosis aevo auditam Bath Kol scribunt in *Midrasch Cobelet* 112: 1. *Gem. Horaioth. 11: 2.* Et Davidis *Gem. Moèd. Katon. 16. 2.* & Salomonis. *Gem. Rosh Hasschana 21: 2.* & Nebucadnezaris. *Midrasch Schir Hasschirim. 18: 1.*

§. IV. Ora-
culum
Templi II
Bath Kol:

V. Munus eorum varium erat, respectu rerum quas iis Deus mandaverat, Voluntatem divinam revelare, Populum mo-

§. V. Mu-
nus Pro-
phetarum:

R 2

nere,

nerere, corripere, docere, futura praedice-
re, operibus mirandis veram religionem
confirmare, indigentibus opem ferre, de
rebus gravioribus respondere (1 Macc. 4:
46.) aliaque hujus generis praestare, quae
passim memorantur in Sacris literis, qua-
rum consignatio etiam iis, instinctu divino
actis, debetur.

§. VI. In-
auguratio.

VI Huic muneri initiatos eos fuisse un-
ctione olei, uti Reges & Sacerdotes, qui-
dam colligunt ex *Psal.* 105: 15. & 1 *Reg.*
19: 16. Alii tamen putant in loco priori
non necessario perunctos intelligendos esse
Prophetas; & posteriorem conferri debe-
re cum 1 *Reg.* 19: 20. ubi Elisam inaugu-
ratum fuisse sola pallii injectione, non un-
ctione, legitur. Certe מָשַׁח sive *ungere*
pro *inaugurare* aut *promovere ad dignitatem*
usurpatur aliquando, quare Chaldaeus in-
terpres רָבִי ponit pro מָשַׁח *Exod.* 28:
41. & 29. 7. *Levit.* 7: 35. Et Judaei
מְשִׁיחָה notionem habere גְּדוּלָה *magni-*
tudinis fatentur. Sic Interpres Armenus,
Scholiastae Syro laudatus, *Act.* 1: 20. ἐπι-
στοπήν αὐτῶν reddit מָשַׁח unctio-
nem ejus, quod *Pf.* 109: 8. est פְּקוּדָתוֹ.
Graeci eodem modo usi sunt voce χειρο-
τονέιν.

τονεῖν. Ita Alexander M. (vid. *Joseph.* XIII: 5.) scribit ad Jonathanem, χειροτονοῦμεν σε σήμερον Ἀρχιερέα, id est, *constituumus Pontificem.*

VII. Vestibus eos distinctos fuisse a §. VII. Ve:
reliqua Hebraeorum turba videtur colligistes
posse ex *Zach.* 13: 4. ubi אדרת שער
pallium hirsutum vel villosum iis tribuitur,
& *2 Reg.* 1: 8. ubi Elias בעל שער, *pi-*
losus appellatur. Huc facit quod *Hebr.* 11:
37. oberrasse amicti pelibus caprinis &
ovillis legantur.

VIII. Tempore Prophetarum nefariae §. VIII.
idololatriae saepius se reos fecerunt Israë-
litae, (ob quam destructum praecipue Sectae post
Templum primum fuisse legitur, *Jerem.* Prophetas
44: 22. *Gem. Joma.* 9: 2.) & praeter infan-
dum illud scelus in adoratione vituli aurei
commisum (cujus poenam se in hunc us-
que diem ferre existimant) omnes fere
gentium vicinarum Deos, Molochum,
Baalem, Adrammelech, Anamelech, Kiun,
Remphan, Camos, Tammuz, Astaroth,
Baalpeor, Baalzebub, Baalberith & alios
coluerunt. At nullae inter eos toto illo
temporis spatio sectae exortae fuisse legun-
tur. Verum post Prophetarum excessum
sollicite sibi caverunt ab idololatria, quam

in hunc usque diem execrantur, & sectae inter eos exoriri coeperunt, quarum praecipuae tres sunt, Sadducaei, Pharisei, & Essaei.

§. IX. Sadducaei.

IX. Sadducaei צדוקים, ita dicti a Sadowok, discipulo Antigoni Sochaei, antiquissimam sectam Judaeorum constituunt. Nata illa dicitur ex male intellectis vel in malignum sensum detortis verbis Magistri eorum. *Pirke avoth.* 1: 3. Negabant resurrectionem mortuorum & consequens praemium poenamve post hanc vitam, uti & existentiam Angelorum & Spirituum. *Act.* 23: 8. Rejiciebant praeterea traditiones & explicationes Pharisaicas Sacri Codicis. Ex quo fonte manarunt plurima in quibus abeunt a Phariseis, quaeque in Sacro Codice longe aliter ac illi interpretantur, quale est quod falsum testem non occidendum dicant antequam reus occisus sit, quod gallinas non comedant, putantes esse animal immundum, דוכיפת dictum *Lev.* 11: 19. quod libamen aquae rejiciant, quodque circa suffitum die expiationis adolendum, vaccam rufam, aliaque diversum sentirent a Phariseis. Cum Sadducaeis convenisse in nonnullis saltem capitibus Herodianos (de quibus vide supra pag. 243.) colligitur ex *Matth.*

Matth. 16: 6. ubi ζύμη Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων nuncupatur, quae *Marc. 8: 15.* ζύμη Φαρισαίων καὶ Ἠρώδου.

X. Sunt qui eos solum Pentateuchum §. X. Num pro verbo Dei habuisse scribant, sed ido- solum Pen- neis testimoniis destituti: quae opinio ex tateuchum eo nata videtur, quod Josephus eos soli pro S.S. ha- Legi scriptae Mosis adhaerere tradat (*Antiq. 13: 18.*) opposite sc. ad traditiones, quodque Christus *Matth. 22: 31.* resurrectionem mortuorum ex Pentateucho demonstraverit contra Sadducaeos, quum ex aliis libris Sacri Codicis clariora testimonia mutuari potuisse videretur. Denique nata est haec opinio aut firmata ex eo quod Sadducaei communi cum Samaritanis nomine כותיים *Cuthaei* appellentur, Samaritani autem solum Pentateuchum pro libris divinis agnoscant.

XI. Condiscipulus Sadoci, ביתוס *Bai-* §. XI. Bai- thos, nomen dedit sectae Baithosaeorum, thosaei. quos male nonnulli cum Essaeis confundunt, ac si ביתוסים componeretur ex בית אוסים *secta Essaeorum*, quum Baithos nomen sit satis notum, *Avoda Zara. v: 2.*

Bava Mezia. v: 3. Gem. Hier. Ketuvoth.

30. 2. Gem. Bava Bathra 13: 2. Gem. Hier.

Eruvin. 23: 3. Gem. Gittin. 56: 1. Gem.

R 4

Pe-

Pesachim. 37: 1. Videtur natum ex Graeco Βουθος aut Παῖτος. Non satis distincte liquet qua in re a Sadducaeis diversi fuerint, quibuscum in eo convenerunt, quod resurrectionem negaverint, ex male detortis Antigoni verbis, quod crimen utriusque & Sadoco & Baithoso tribuitur. Quidam putant Sadducaeos fuisse iis pejores: Sed quum Judaei nomina Sadducaeorum, Cuthaeorum, סִינִים, *haereticorum*, Baithosaeorum, Epicuracorum, & Karacorum saepe confundant, & vere in iis ludant, tanquam synonymis, vix aliquid certi de Baithosaeis statui posse videtur. In *Gem. Hier. Joma. 39: 1.* quaedam narrantur singularia de Baithosaeis, uti quod libationem aquae rejicerent, & quod suffitum incendendum esse extra Sanctum Sanctorum & deinde inferendum dicerent: sed haec etiam Sadducaei dicebant, sic ut credibile sit aut eosdem fuisse Baithosaeos cum Sadducaeis aut certe haud multum diversos.

§. XII. Karacaei.

XII. Karacaei, בְּנֵי סֵקְרָא & קְרָאִים, *Scripturarii*, ita dicti quod rejectis traditionibus plurimis Phariseorum sensum literalem פְּשׁוּט Sacri Codicis observent, & hac parte oppositi רַבָּנִים, quando
ita

ita appellari coeperint vix constat. Memoratur in Misna Eliezer quidam **הקראי** *Karaeus*. Et alibi quoque in Basileensi & Amstelodamensi Talmudis editione in Misna *Megilla* **קראים** *Karai* memorantur, sed quum in prima quae Veneta est, pro ea vox **מינות** legatur, quas voces confundere Judaei solent, vix inde certo colligas Karaeos proprie dictos ibi innui; nec solet nomen sectae nominibus Rabbino- rum unquam addi. Non sunt habendi pro Sadducaeis aut eorum propagine, licet cum iis in rejectione Legis ore propagatae sive traditionum conveniant. Praeterea ab aliis Judaeis discrepabant in die festi Novilunii, quem non ex calculo Astronomico sed apparitione Lunae figendum autumabant; in tempore mactandi agnum Paschalem, quod **אחר שקיעת השמש** *post solis occasum* statuunt; & personis ad Pascha edendum idoneis, quas Karaei solos mares esse dicunt; in tempore quo reliquiae coenae Paschalis comburi debebant, quod ipso die 15 fieri debuisse contendunt; quum Rabbanitae non die 15, qui est **יום טוב**, sed die 16; aut si dies 16 sit Sabbathum, die 17 id fieri oportere statuunt; in tempore oblationis ma-

R 5

nipuli

nipuli Paschalis quem illi *מחרת השבת* *crastina Sabbathi* hebdomadalis, non Sabbathi, sive diei primi festi azymorum, putant offerendum fuisse, unde & Pentecoste in alia tempora incidit; in cerimoniais festi Tabernaculorum, gestatione mali citrei & לולב, ac libatione aquarum, quos ritus Karaei negligebant.

§. XIII.
Pharisei,
& eorum
instituta
theore-
tica.

XIII. Pharisei, פרישים, ἀφωρισμέ-
νοι, interpretibus Epiphanio & Suida (quo
Pauli verba spectant *Rom. 1: 1.*) ita dicti
quod vitae sanctimonia, sive vera sive fi-
cta, se ab aliis separarent, creduntur propa-
go fuisse τῶν חסידים Chasidaeorum, quos
generis nobilitas, & studium pietatis, ac
ardor pro religione, commendabant; qui-
que ἀγαθοὶ Graeci dicuntur *Job. 7: 12.*
Rom. 5: 7. A tempore Simeonis Ben She-
tah & deinceps fit eorum mentio in scriptis
Hebraeorum. At non simul orta est haec
secta, sed lapsu temporis incrementa ce-
pit, prout traditiones magis magisque in
honore esse coeperunt, & אִי־סֵפֶס *sepes* Le-
gi facta est. Quod singulare huic sectae
erat, versabatur circa res credendas vel fa-
ciendas. Ad prius genus pertinet, quod
jactarent se prae aliis notitiam Legis habe-
re & Traditiones πατροπαράδοτος magni
face-

facerent, atque instituta humana populo obtruderent pro divinis *Matth.* 15: 9. *Marc.* 7: 8, 13. quod fato & providentia Dei res omnes regi asseverent, contra ac Sadducaeii; licet Josephus modo scribat illos εἰμαρμένη καὶ Θεῶ προσάπτειν πάντα, & λέγειν τινὰ καὶ οὐ πάντα εἰμαρμένης εἶναι, modo illos credere πράσσεσθαι εἰμαρμένη πάντα.

XIV. Sunt qui dogmatibus Pharisaicis μετεμψύχωσιν annumerent, quod Josephus scribat eos credere animas piorum in aliud corpus migrare, μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα; alii vero putant hac phrasi tantum, innui animarum immortalitatem, ita ut hoc corpore relicto, in aliud gloriosum, non substantia sed qualitate diversum (confer *Luc.* 9: 29. εἶδος ἕτερον) transeant: ut ita de Sadducaeis tradat, eos negare animarum praemia aut poenas post hanc vitam; de Essaeis, animas sine corporibus permansuras; de Phariseis, mansuras quidem animas sed ita ut in alterum corpus migrent, uti *lib.* 111. *de Bell.* 14. dicit de animabus in coelo ἀγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασιν. Huc quoque trahunt nonnulli *Matth.* 16: 14. ac si credidissent Pharisei animam Eliae in Christum

§. XIV.

Num metempsychosis dogma sit Pharisaeicum.

stum migrasse: sed ita Christus Elias dici non potuisset, non magis quam ille in quo animae Eliae ante Eliam fuit; & probabilius est eos credidisse Christum ipsum Eliam fuisse, vel Prophetam alium ex mortuis resuscitatum *Luc. 9: 7, 8.*

§. XV. In-
stituta
practica.

XV. In praxi opera eorum ad inanem ostentationem erant comparata, ut ab hominibus conspicerentur, & famam pietatis sibi acquirerent. Huc spectant frequentes lustrationes *Marc. 7: 3, 4.* jejunia *Luc. 5: 33.* & *18. 12.* *Matth. 19: 14.* decimarum exacta solutio etiam de rebus minimis *Matth. 23: 23.* preces longae & in locis publicis ac frequenter peractae. *Matth. 6: 5.* *Luc. 5: 33.* observatio Sabbathi eo usque, ut gestationem lecti, spicarum evulsionem ad sedandam famem, sanationem aegrorum, eo die prohibitam censerent *Matth. 12: 2.* *Luc. 6: 7.* *Joan. 9: 16.* vitatio consortii aliorum hominum, quos ne tangere quidem audebant. Dicuntur etiam Pharisei dilataste phylacteria sua. *Matth. 23: 5.* Per quae intelliguntur תפילין composita ex certis Sacrae Legis pericopis, quae thecis inclusae capiti & manui sinistrae adaptatae a Judaeis gestabantur: alii tamen dubitant an illorum phylacte-

lacteriorum dilatatio, quae ea illegitima fuisse redditura videtur, ibi intelligatur: quamvis certum sit aliquas partes phylacteriorum potuisse dilatari, veluti **קַרְטָוִן** *nodum*, vasculumve in quo membranae includuntur, & cujus magnitudo definita non est, sic ut vel majus sit vel minus pro arbitrio dominorum. Eriphanius in *ἀνακεφ.* pag. 134. *φυλακτήρια* scribit fuisse clavos sive segmenta purpurae, *σήματα πορφύρας* vestibus intexta idemque *lib. 1. contra haereses*, pag. 33. *τὰ δὲ σήματα τῆς πορφύρας φυλακτήρια εἰώθασιν οἱ ἠκριβωμένοι μετονομάζειν.* Scilicet ne quis eos tangeret, *ἵνα μηδὲς ἄψηται*, gessisse eos & haec *φυλακτήρια* & fimbrias in oris vestium majores & quatuor corymbos malorum Punicorum specie e pallio pendentes ibidem legitur: sic ut illa *φυλακτήρια* dicta credi possit, quod eorum ope tuti praestarentur a contactu hominum aliorum. Confer *Chagiga. 11. 7. Mikvaoth. 1x. 6.* Fimbriis quoque vestium longioribus usi sunt, quae cum *φυλακτηρίοις* junguntur *Matth. 23: 5.* uti Judaei quoque **פִּילִיָּה** & **קַרְטָוִן** jungunt (vid. supra p. 131.) de quibus *Num. 15: 38.*

XVI. Essaei, *Ἐσσαῖοι*, ita dicti sunt, §. XVI: uti Essaei,

uti quidam volunt, per apocopen a חסידים *Chasidaeis*, vel ab נדן quod multi ex iis medicinam exercerent, vel חסה, quod ad loca deserta confugerent, vel verosimilius a Graeco ὀσιοι. Philo ipse eos dictos παρά τὴν ὀσιότητα scribit. Chryso-
 stomus *hom.* 47. in *Acta cap.* 22. Essaeos ὀσίς appellari notat: & nomen Θεραπευ-
 τῶν ipsis datum non ad medicinam corpo-
 ris, sed animi, poenitentiam scilicet, re-
 ferendum est. Origo eorum non arcessen-
 da est a Rechabitis, *Jerem.* 35: 2. quod
 non sectae sed familiae nomen est, ortae
 non e populo Dei sed Kenitis (קניזים uti
 1 *Chron.* 2: 55. in libris accuratis se inve-
 nisse Judaei testantur, non קניזים) quique
 alia instituta servabant; verum a tempori-
 bus Antiochi Epiphanis, quum plurimi
 ad loca deserta fugerent; licet demum
 Hyrcano imperante expressa eorum men-
 tio fiat. Quidam ex iis erant κοινόβιοι,
 alii μόναχοι: utrique abstemii vitam age-
 bant a voluptatibus remotam, plerumque
 coclibes, bona privata non habentes, a
 juramentis alieni, nec eementes nec ven-
 dentes, in martyriis constantissimi, loca
 deserta sectantes (unde in N. T. altum de
 iis silentium) & dantes operam pietati.
 Quare

Quare cum Pythagoreis in multis conveniebant, uti Sadducaeis cum Epicureis, Phariseis cum Stoicis.

XVII. Solent sectis Judaeorum accenseri Scribae, Γραμματεῖς. Nomen quidem Scribarum apud Judaeos late patet, & eos nonnunquam notat, qui praefecti aut שטרנים nuncupantur. Ita *Deut.* 20: 5, 9. Versio Samaritana habet ספרים, Graeca Γραμματεῖς, quam & confer *Ex.* 5: 6, 10. Aliquando vox Scribae Prophetam indicat. Vide Targum *Psf.* 62: 12. & Targum *Hier. Num.* 11: 26. Pro סחוקק *Deut.* 33: 21. ספרא in Targum legitur. Judaei Doctores suos סופרין appellant, uti quum dicunt חביבין דברי סופרין סדברי תורה *amabiliora esse verba scribarum quam verba Legis divinae*, in *Midrash Schir Haschirim.* 6: 2. & Christus quidem hos doctores fuisse indicat, quum eos in cathedra Mosis sedere cum Phariseis affirmat *Matth.* 23: 2. & quumque *Marc.* 1: 22. populum docuisse leguntur: Confer *Matth.* 17: 10. Multa eos cum Phariseis communia habuisse liquet non ex eo tantum quod passim in Evangeliiis jungantur: vide *Matth.* 23: 13. & *seqq.* sed quod diserte *Luc.* 20: 46. Scribis tribuantur

tur quae alias Pharisaeis. Vid. *Matth.* 23: 6. & *Marc.* 12: 39. Fuisse tamen etiam inter eos, qui cum Pharisaeis non facerent colligitur ex *Act.* 23: 9. & *Luc.* 11: 44. Auctoritate illos valuisse inter Judaeos patet ex eo quod Christum examinarint & eorum jussu captus & iis traditus fuerit. *Marc.* 10: 33. *Luc.* 22: 2. Commemoratur denique 1 *Macc.* 7: 12. Synagoga Scribarum *Συναγωγή γραμματέων*: & gradus quosdam dignitatis inter eos fuisse patet ex eo quod 2 *Macc.* 6. 18. legitur *τῆς τῶν πρωτεύοντων γραμματέων*.

§. XVIII.
Legis do-
ctores. 1

XVIIII. Νομικοὶ denique aut νομοδιδάσκαλοι creduntur sectam singularem constituisse: suntque qui eos Karaeos fuisse putent, qui Legem scriptam, *נֶגְבָד*, neglecta orali docerent. A Pharisaeis distingui videntur *Luc.* 11: 44. sed multa tamen cum iis habebant communia. Vid. *Luc.* 5: 17. & 7. 30. & 14. 3. Sic ut eosdem fuisse illos cum Scribis probabile sit, quod & Epiphanius ἐν ἀνακεφαλ. p. 133. scribit, & quo facit *Luc.* 11: 4. dictum Νομικῶν ad Christum Scribas corripientem, *etiam nos afficis injuria*. Sed quibus in rebus aut hi Νομικοὶ aut Scribae cum Pharisaeis conveniant, & quibus dissenserint, vix reor accurate explicari posse.

CAP.

C A P. X.

De Naziraeis.

N Aziraei, נזירים, Ναζιραῖοι, vel Να-ζ. I. Νο-ζειραῖοι, ut est in onomastico Ori-men-
 genis, Ναζηραῖοι, Ναζαραῖοι, uti *Jud.* 13:
 5, 7. *I Macc.* 3: 49. *Thren.* 4: 7. appel-
 lantur, distinguendi sunt a Ναζωραῖοις,
 quod patriam & sectam indicat. Incolae
 scilicet urbis Nazareth Ναζωραῖοι appel-
 lantur locis 10 in Novo Testamento, &
 in 4 Ναζαρηνοί: idemque esse Ναζωραῖος
 & Ναζαρηνός liquet ex collatione *Marc.*
 14: 67. & *Matth.* 26: 31. Secta quoque
 Ναζωραίων memoratur ab Epiphanio, &
 Hieronymo. Ita dicuntur quasi *separati* ab
 aliis certo vivendi genere ex voto, omnium
 maximo, quo quis non res suas sed se ipsum
 Deo sacrat: quare Μεγάλην εὐχὴν dici Philo
 tradit: vel quod נזיר coronam Dei, pro-
 missos capillos, gererent. *Num.* 6:7.

II. Dividuntur in species duas. I. Να-ζ. II Spe-
 ziraeos qui in perpetuum se devoverunt, ^{cies.}
 & dividebantur iterum in נזירי עולם
Naziraeos perpetuos, ἀπλῶς ita dictos qui
 ad haec duo tenebantur, alendos capillos
 (quos tamen si incommodo iis essent se-
 mel

mel quotannis tondere licebat, quod exemplo Abschalomi probant *Gem. Nazir. 4:2.*) & abstinentiam a vino, qui si polluantur tres pecudes offerunt & tondentur, & in

שמשון נזירי שמשון *Naziraeos Schimschonaeos* quibus tondere capillos nunquam licuit, quique polluti nihil offerunt. *Nazir. 1:2.*

II. נזירי זמן קצוב *Naziraeos ad tempus devotos*, id est, minimum ad 30 dies, qui non tantum capillos alere, a vino abstinere, sed puros se servare a mortuis debebant. *Nazir. 1:3. Confer Eduioth. 17: 11. & VII. 5.*

§. III. Leges Naziraeatus temporarii.

III. Posterioris Naziraeatus Leges *Num. 6:2. & seqq.* enarrantur. In *Nazir. vi:1.* ea quae Naziraeis prohibita sunt tria esse dicuntur. 1. Immundities. 2. Tonsura. 3. Quicquid a vite proficiscitur: alias solent Leges Naziraeatus ad haec 10 capita referre, 2 praecepta scilicet & 8 interdicta. Quae in catalogo praeceptorum & interdictorum sunt 365-374. Horum etiam Hieronymus meminit in *Comm. ad Amos. 11. pag. 1386.*

1. Ut comam alat.

2. Se non radat.

3. Abstineat vino, aceto, & omni potu inebriante.

4. Ne

4. Ne uvas recentes comedat.
5. Ne passas. Confer Hieronymum in *Jes. vi. pag. 55.*
6. Ne acinorum nucleos comedat.
7. Ne corticem uvarum edat.
8. Ne domum mortui ingrediatur.
9. Ne polluatur a mortuis, exceptis 6 propinquis *Levit. 21: 2:* memoratis, & mortuo praecepti, **לֹא יִמָּוֵט**: sic ut Sanctitas eorum conveniat hac parte cum Sanctitate Sacerdotum.
10. Ut finito tempore Naziraeatus offerat ea quae a Deo praescripta sunt; quemadmodum & si casu pollutus sit, id est, si quis ad latus ejus mortuus fuerit, quo in casu prius 7 dies immundus esse, se radere die septimo & capillos sepelire, cinere vaccae rufae aspergi die tertio & septimo, & die octavo munus suum afferre, *Num. 6: 10.* & denuo tot dies, quot ante voverat, in Naziraeatu transigere debuit. *Nazir. III: 3.*

IV. Ea autem quae exacto tempore Naziraeatus peragenda fuere sex sunt.

§. IV. Voti solutio.

S 2

1. Ut

1. Ut agnus offeratur in holocaustum.

2. Agna in sacrificium piaculare.

3. Aries in sacrificium salutare.

Haec & praecedentia solent שלש בהמות tres pecudes Naziraeorum

appellari. Vid. Gem. Hier. Nazir. 54: 2. Midrasch Coheleth. 107:

3. ubi historia 300 Naziraeorum, quibus 900 pecudes partim Rex Jannaeus partim Schimeon Ben Schetach ad hunc usum donabat.

4. Simila infermentata oleo mixta, & ריקי מצות oleo uncta, cum ferto & libaminibus eorum offerantur.

5. Capillos radat ad ostium Tabernaculi, vel stante Templo in conclavi Naziraeorum, & eos conjiciat in ignem sub olla in qua Sacrificium salutare coquitur.

6. Armus coctus arietis, placenta azyma & ריקין sive lagana, azyma quoque (sed quibus pro pane azy-mo in Paschate uti non licuit. Pesachim. 11: 5.) oleo uncta a sacerdote agitentur una cum pectore & armo crudo, ut sit תנופה Num. 6: 20.

§. V. De

V. Votum Pauli Act. 18: 18. se ton-
dentis

dentis Cenchreis, non erat votum Nazi-voto Pauli
 raecatus: sed longe diversum. Nam non fuit ^{num fuerit}
tonsura munditiei, תגלחת טהרה uti Ju- ^{Naziraea-}
 daei loquuntur, id est, tonsura Naziraei vo- ^{tus.}
 to suo soluti, quoniam illa non alibi quam
 in Templo fieri debuit: nec fuit *tonsura*
immunditiei תגלחת טומאה, id est, ton-
 sura Naziraei, qui ante, dies Naziraeatus
 sui impletos polluitur, quoniam illa ton-
 sura fieri debuit in terra Israëlitica, vel in
 tali loco unde spatio diurno ad Templum
 aliquis pervenire potest; nam die septimo
 jubetur tonderi & octavo afferre Sacrifi-
 cium. Nec licebat Naziraeo esse extra ter-
 ram Israëliticam. *Nazir.* 111: 6. Si quis
 vovisset Naziraeatum extra terram, profi-
 cisci debuit in terram & illic votum im-
 plere. *Ednoth.* 1v: 11. Sic Helena Regi-
 na Adiabenorū Naziraea fuit per 21 an-
 nos, quamvis modo septennii Naziraeatum
 vovisset, quia extra terram voverat, &
 circa finem alterius septennii polluebatur.
 Sic quoque Naziraeatus locum non ha-
 buit, nisi stante Tabernaculo & Tem-
 plo; quoniam voto solvi non potuerunt, ni-
 si ad Tabernaculum vel Templum acces-
 sissent. Hinc 1 *Macc.* 3: 50. Naziraei voto
 solvi non poterant Templo partim polluto
 partim deltructo.

P A R S III.

D E

REBUS SACRIS.

C A P. I.

*De Sacrificiis generatim, & ritibus
ad Sacrificia spectantibus.*

§. I. No-
men Sacri-
ficiorum.

I.



Mnes Oblationes, quae se-
cundum voluntatem Dei cer-
tis ritibus ei sacratae consu-
mebantur, generali nomine
קרבנות appellantur. Dicuntur etiam
Dona מתנות *Ex. 28: 38. Ez. 20: 26, 39.*
& Δῶρα *Matth 5: 23. & 23. 18.* & κορ-
θαῖν idem est quod δῶρον *Marc. 7: 11.* uti
& Josephus *Ant. iv. 4.* Κορθαῖν δῶρον ση-
μαίνει. Hae quum vel ex animalibus con-
stent, vel ex farina oleove vino & thure,
in duas species dispescuntur, quarum il-
la, scilicet cruentae oblationes, *Sacrifi-
ciorum* nomen vulgo accepit, haec vero,
scilicet incruentae, *Fertorum & libaminum.*
Quae fere conveniunt cum nomine זבחים,
quod

quod prioribus, & נסכים ac מנחות, quod posterioribus datur: quamvis זבח de holocausto avium recte dici negent Judaei, quod קרבן est, & זבח proprie id est quod mactatur.

II. Quum vero plurium Sacrificiorum in Sacro Codice fiat mentio, ad certas species referenda sunt, ut distinctius de iis agi possit. Sunt qui in tres species ea dividant, unam eorum quae Deo cedebant, ut holocausta, alteram, quae Deo & sacerdotibus veluti piacularia, tertiam quae dominis, uti Pascha. Sed Judaei in *Gem. Rosch Hasschana. 4: 1.* & alibi vulgo quatuor recensent tam publica quam privata עולה חטאת ואשם ושלמים. 1. Holocausta. 2. Sacrificia piacularia. 3. Sacrificia pro delicto, & 4. Salutaria. Quibus addunt tria privata, דומים לשלמים, quae similia sunt salutaribus, 5. Primogenita animalium. 6. Decimas eorundem. & 7. Agnum Paschalem. Quem ordinem nos quoque in eorum descriptione servabimus, ubi prius illa quae pluribus Sacrificiis communia sunt hoc Capite breviter indicaverimus.

§. II. Species diversae.

§.III. Qua-
lia publica.

III. Solent praeterea Judaei dispescere Sacrificia in quatuor alias species. I. In Publica. II. Privata. III. Publica privatis similia & IV. Privata similia publicis. Publica *pellunt Sabbathum & immunitatem*, דוחין טומאה ושבת, sed privata nequaquam. Publicis nihil addendum erat nec de illis detrahendum. In Publicis, a Deo jussis, nunquam animal sexus foeminei oblatum fuit. *Temura. II: 1.* Praeterea hirci erant in omnibus Sacrificiis publicis catalogi mox dandi §. IV. excepto primo, secundo, & quinto. Erantque *hi hirci Sacrificia piacularia* שעירי חטאת. In *Midrasch Schir Hasschirim. 24: 3.* legitur ubique in Lege Dei de hircis dici quod fuerint לחטאת *piaculares*, excepto hirco offerendo die festo Pentecostes בעצרת אין כתיב חטאת, *de Azereth haud scriptum est*, חטאת, quia scilicet Israëlitae illo die Legem accipientes ab omni peccato erant puri. Fateor illud חטאת omitti *Num. 28: 30.* ubi legitur שעיר עזים אחד לכפר עליכם, sed notatu dignum est Interpretes Alexandrinos illic vocem לחטאת legisse, redentes χίμαρον ἐξ αἰγῶν ἓνα ΠΕΡΙ ΑΜΑΡΤΙΑΣ ἐξιλάσασθαι περὶ ὑμῶν. Et fuisse hir-

hircum hunc piacularem patet ex adjecta voce לְכַפֵּר *ad expiandum*, & loco parallelo *Levit. 23: 17.* ubi discrete legitur fuisse חטאת.

I V. Undecim Publica enumerantur. §. IV. Quot

I. Agni duo in Sacrificio jugi sive quo- publica.

tidiano. *Exod. 29. 38. Num. 28. 3. 8. Ezz.*

3. 5. *Neh. 10. 33. Eccles. Siracid. 45. 17.*

II. Additamentum Sabbathicum, quum duo agni praeterea offerebantur *Num. 28.*

10. III. Additamentum novilunii, duo juvenci, aries, & 7 agni in holocausta & hircus in Sacrificium piaculare. *Num. 28.*

11. I V. Oblatio festi Azymorum: quum per 7 dies quotidie idem quod in Novilunio offertur. *Num. 28. 16. 25. Deut. 16. 2.*

V. Agnus in holocaustum die oblationis manipuli. VI. Additamentum diei עֲצֵרֶת

festi Pentecostes, quod idem erat ac in Novilunio. *Levit. 23. 17. Num. 28. 27.*

VII. Oblatio ejusdem diei, scilicet cum panibus duobus, juvencus, arietes duo, 7 agni in holocausta, hircus in Sacrificium piaculare, & 2 agni in salutare. *Lev. 23.*

18. VIII. Additamentum novi anni, quum praeter Sacrificia jugia & addititia novilunii offerebantur juvencus, aries, & 7 agni in holocausta & hircus in Sacrificium

piaculare. *Num.* 29. 2. IX. Oblatio diei Expiationis, juvencus, aries, & 7 agni in holocausta, hircus in Sacrificium piaculare. Praeterea hircus, emissarii socius, in Sacrificium piaculare, aries in holocaustum.

Num. 29. 8. X. Oblatio primo die festi Tabernaculorum, 13 juvenci, arietes 2, 14 agni, & hircus in Sacrificium piaculare. Ex arietibus, agnis, & hircis numerus idem per omnes dies hujus festi offerebatur, sed juvencorum numerus decrecebat indies, sic ut septimo die 7 essent offerendi juvenci, duo arietes, 14 agni & hircus in Sacrificium piaculare. *Num.* 29.

12. XI. Oblatio diei octavi **עֲזָרָה** festi Tabernaculorum, juvencus, aries, 7 agni in holocausta, & hircus in Sacrificium piaculare. *Num.* 29. 36.

§. V. Quae privata.

V. Privata (id est **יְחִיד**, unius hominis sive sit persona publica sive privata, sive Pontifex Max. sive alius) sunt quinque, scilicet. I. Offerenda ob peccatum dicto vel facto commissum. II. Ob aliquid quod corpus tangit, quales oblationes 6 sunt, 1. Maris aut faeminae fluxu laborantis. 2. Leprosi. 3. Menstruatae. 4. Puerperae. 5. Polluti a mortuo. 6. Proselyti. III. Ob aliquid, quod bona tangit,

git, ut si quis haberet primogenita animantium, decima &c. I V. Ob certum tempus quod advenit, uti עולה ראיה holocaustum praesentiae in 3 festis majoribus, קרבן הגיגה oblatio celebritatis, & שלמי שמחה salutaria laeta. V. Ob votum vel promissum, uti oblatio Naziraei.

VI. Publica, sed privatis similia, quae ob errorem a populo commissum &c. §. VI. Publica quasi privata, & vice versa. *Lev. 4: 13. Num. 15: 24, 25, 26.* Privata, sed quae speciem habebant publicorum, quod a statuto tempore nec ob Sabbathum nec immunditiam dimoveri nequiverint, sunt agnus Paschalis, juvencus in Sacrificium piaculare & aries in holocaustum, quos P. M. die expiationis offerebat, & propterea haec pellebant Sabbathum. *Temura. 11: 1.*

VII. Distinguunt Judaei inter קדשי קדשים §. VII. Quae Sanctissima & קדשים קלים minus Sancta. *Zevachim. v: 1, 7. Gittin. 11: 8. Eduioth. viii: 6.* Sacer Coedex hanc distinctionem confirmat, & quemadmodum Sancta Sanctorum, id est, Sanctissima nuncupat altare exterius *Exod. 29: 37 & 40. 10. & interius Exod. 30. 10. suffitum Exod. 30. 36.* vasa Tabernaculi interiora *Num. 4: 19.* reliquias fertorum post

post pugillationem comedendas a Sacerdotibus *Lev. 2. 3. & 10. 12. & 24. 9. Num. 18. 9.* res devotas per **הרם** *Lev. 27. 28.* ita quoque ex Sacrificiis *Piacularia* **קדש** **קדשים**, id est, *Sanctissima* appellantur *Lev. 6. 18. & Sacrificia pro delicto* *Lev. 7. 1. & 14. 13.* Quibuscum quoniam holocausta conveniebant, mactanda scilicet jussu Dei *Lev. 14. 13.* eodem loco sanctiore, id est, ad septentrionem altaris, & Deo tota consecrata in altari exteriori, cumque iis etiam salutaria publica comedenda a Sacerdotibus ephemeriae ministrantis in Atrio, loco sancto, ideo quatuor species Sacrificiorum Sanctissimorum statuuntur. 1. Holocausta omnia. 2. Sacrificia piacularia omnia. 3. Sacrificia pro delicto omnia. 4. Sacrificia salutaria publica. Reliqua, sc. salutaria privatorum hominum, Primogenita animantium, Decima eorundem, & Agnus Paschalis minus Sancta appellantur. Sacrificia Sanctissima mactabantur ad septentrionem altaris. *Levit. 14. 13. Lev. 6. 18. 22. & 10. 17.* Sacrificia minus Sancta ad ortum vel austrum. Sacrorum Sanctissimorum, sive ea publica sive privata essent, pelles erant Sacerdotum, exceptis illis victimis piacularibus quae integrae

tegrae comburi debuerunt *Lev.* 27. at Sanctorum levium, sive minus Sanctorum, redibant ad dominos. *Zevachim* xi: 3. Sanctissimis quoque aut vesci omnino non licuit, aut solis sacerdotibus masculis, & quidem in loco Sancto, id est, in Atrio magno: verum Sanctis levibus & viri & faeminae vescebantur, etiam in urbe Hierosolymitana, exceptis Sacrificiis primogenitorum animantium, quibus soli vescebantur sacerdotes. *Levit.* 6: 11. *Sota.* 11: 7.

VIII. Gradus Sanctitatis in Sacrificiis varii a Judaeis statuuntur in *Zevachim*. x: 2.

§. VIII. Gradus 10 Sanctitatis in Sacrificiis.

1. Sacrificii piacularis sanguis, quia expiat, est sanctissimus שְׁהוּן מְרֵצָה, & sanguine holocausti sanctior.
2. Membra holocausti sanctiora sunt ablegminibus Sacrificii piacularis, quia omnia cedunt in אֵשׁ ignita.
3. Sacrificium piaculare sanctius est Sacrificio pro delicto, quia sanguis adspargitur 4 cornibus, & infunditur fundamento altaris.

4. Sa-

4. Sacrificium pro delicto sanctius est Sacrificio תודה & ariete Naziraei, quia est e numero Sanctissimorum.
5. Sacrificium תודה & aries Naziraei sanctiora sunt שלמים טובים Sacrificiis salutaribus, quia eduntur die uno & requirunt panem.
6. Sacrificia salutaria sanctiora sunt Primogenitis, quia requirunt 4 sparsiones sanguinis, impositionem manuum, libamina & agitationem ושוק pectoris atque armi.
7. Primogenitum sanctius est Decimis animantium, quia Sanctitas ejus incipit ab nativitate, & a Sacerdotibus comeditur.
8. Decimae pecudum sanctiores avibus oblatis, quia sunt veri nominis זבה Sacrificium sc. cultro mactatum, & sanguis earum ac adipēs sunt Sancta Sanctorum, & semper altari cedunt, quod non ita est in Sacrificiis avium.
9. Avium oblationes sanctiores fertis, quia sanguine constant.
10. Fertum peccatoris sanctius fertו נדבה, quia pro peccato est.

IX. Sanctissima maclabantur, & sanguis eorum excipiebatur, ad septentrionem altaris *Lev. 1: 11. Lev. 6: 25. Lev. 7: 2. Lev. 23: 19.* sed minus Sancta sive Sacra levia maclari poterant in omni loco atrii, excepta parte ad septentrionem & occidentem altaris. *Lev. 3: 2, 8.* ubi plaga septentrionalis non est definita ut in Sanctissimis: & quia ibidem dicitur ad introitum Tabernaculi debuisse offerri, colligunt inde Judaei non ante resecutas Templi fores jugulari licuisse. *Zevachim. v: 6.* Ceterum non nisi in loco quem Deus elegit, *Deut. 12: 14.* Templo sc. Hierosolymitano, sacrificare licuit, postquam id exstructum fuit; & eo loco quem designavimus: secus qui faceret, diceretur שוחט בחוץ *maclans vel offerens extra.* Victima loco illegitimo maclata comburebatur; quod Judaei colligunt ex *Lev. 6: 23. Temura. VII: 6.* & qui hoc prudens faceret, poenam כרת *Excidii* meruerat, qui imprudens, חטאת קבועה *Sacrificium piaculare statum* offerre debuit. Quod si victimae ab eo maclatae aptae non essent ut offerrentur in altari, poenae hujus reus non habebatur. Hodie si quis extra locum Atrii victimas sacrificaret, quae idoneae

§. IX. Locus Sacrificiorum peragendorum.

idoneae essent, ut intra Atrium sacrificarentur, licet Templum non sit, reus tamen esset.

§. X. Tem-
pus Sacrifi-
ciorum.

X. Lex communis omnia Sacrificia tangebat, quod interdium debuerint offerri; id Judaei colligunt ex *Lev. 7: 38.* adeoque de die mactari victima & sanguis ejus adspargi debuit. Quod si de die victima altari fuisset admota, extra noctu in altari adolere licuit, uti & membra holocaustorum, usque ad auroram diei sequentis. *Megilla II: 6.* quamvis usque ad mediam modo noctem ea adolere consuevissent, & quantum poterant operam darent, ut de die forent consumpta.

§. XI. Ani-
malia Sa-
crificiis
apta quot
& qualia.

XI. Quinque sunt species animalium, quas sibi offerri Deus jussit, tres ex genere quadrupedum, quae distinguebantur in minores, quae annum aetate non superabant, & majores quae omnino, duas ex avibus, *הבקר כבשים עזים תורים* boves, oves, capras, turtures, & pullos columbae: ita quidem ut voce *פר* indicetur juvenis infra triennium aetatis, *עגל* infra primum aetatis annum, *כבש* agnus infra primum aetatis annum, ab octavo sc. die nativitatis *Levit. 22: 27.* *איל* mas ovium & caprarum intra primum &

& secundum aetatis annum, & שְׁעִיר
 עִזִּים *hircus caprarum* supra annum aetatis
 primum, infra secundum. *Para.* 1. 3.
Gem. Rosch hasschana. 10. 1. Tres autem
 hae species animalium respectu aetatis &
 sexus evadunt duodecim, his nominibus in
 sacris literis distinctae: vide *Menachoth.*
 VIII. 7.

Sexus masculini.

Sexus faeminini.

1. פֶּרֶ, *juvencus.*1. פָּרָה, *vacca.*2. עֵגֶל, *vitulus.*2. עֵגְלָה, *vitula.*3. אֵיל, *aries.*3. רְחֵל, *ovis.*4. טֵלָה, *agnus.*4. טְלִיָּה, *agna.*5. שְׁעִיר, *caper.*5. שְׁעִירָה, *capra.*6. גְּדִי, *boedus.*6. גְּדִיָּה, *boeda.*

Turtures autem debebant esse adulti, &
 ex columbis non nisi pulli. Nam princi-
 pium splendoris in utrisque est illegitimum
Chullin. 1. 5. id est, turtures tum demum
 legitimi sunt quum incipiunt splendere;
 sed pulli columbae tum fiunt legitimi. Ad
 holocaustum non nisi animalia sexus ma-
 sculini admittebantur ex quadrupedum
 speciebus modo memoratis, sed ex turtu-
 ribus & pullis columbarum tam mares
 quam faeminae: *Gem. Temura.* 114. 1.

T

ad

ad Sacrum piaculare eadem 5 species animalium, mares aequae ac faeminae: ad Sacrificium pro delicto soli agni mares: ad Sacrificia salutaria mares & faeminae ex tribus speciebus quadrupedum, nullae autem aves. Haec autem debebant esse *תמימים* *perfecta*, non *טומין בעלי* *vitiata*. *Malach. 1: 8*. Erantque ad examinandas victimas constituti *מבקרי טומי קדשים* qui ex Teruma Conclavis mercedem percipiebant: vide supra. *Lev. 22: 20*. Vitia ejusmodi, quae hominem aequae ac pecudem polluebant, 50 Judaei recensent, quae pecudi propria erant 23. Praeterea permutare illa animalia Deo sacrata non licebat *Levit. 27: 10*. quod si factum esset, utrumque animal Deo sacrum erat. Vide Codicem *Teruma*, qui de hoc argumento agit.

§. XII.
Munda
animalia
sacrifican-
da.

XII. Munda haec esse animalia debuerunt & quidem ex domesticis. Sunt enim *בהמות* *animalia domestica* & *חיות* *fera*. Ex domesticis tria sunt genera animalium mundorum, quae comedere Judaeis licebat eademque sacrificare, *bos* scilicet, *ovis*, & *capra*. Ex feris septem sunt munda. 1. cervus, 2. caprea. 3. *יהמור*. 4. *אקו*. 5. *דישון*. 6. *תאו*. 7. *זמר*. vide de his *Tanchuma*.

chuma 55. 3. ubi voce בהמות latius sumpta dicitur esse non nisi עשר בהמות בעולם *decem animalia munda in orbe.* Deut. 14: 4.

XIII. *Distinctio animalium in munda & immunda jam ante diluvium fuit* §. XIII.
Gen. 7: 2. quumque & sacrificia celebra- Inde argu-
ta sint, & pastae legantur oves, & pelles mentum
animalium usum amictus praebuerint, pro cre-
phagia ante
diluvium.
probabile est etiam carne usus ad alimen-
tum Patres ante diluvium. Accedit car-
nium usum post diluvium fuisse licitum,
nec uspiam legi antea licitum non fuisse,
nec rationem ullam esse discriminis hac
parte temporum ante diluvium & post di-
luvium. Praeterea dominium hominis in
animantia concessum id suadet, quum v.
g. pisces certe usui sint hominibus fere
nulla alia ratione quam alimentum prae-
bendo: & post diluvium illud hominis
privilegium latius quam antea patuisse non
sit verosimile: quod tamen fuisset, si tum
demum creophagia generi humano esset
concessa.

XIV. *Varii ritus fuere, quibus victi-* §. XIV.
mae Deo offerri consuevere. In his au- Distinctio
tem partes aliae Sacerdotum erant, aliae rituum ad
dominorum offerentium. Judaei vulgo Sacrificia
pertinen-
tium.
haec

haec quinque 1. Manuum impositionem. 2. Mactationem. 3. Excoriationem. 4. Dissectionem. 5. Lotionem viscerum, a dominis peragi potuisse tradunt; at quinque alia. 1. Sanguinis exceptionem. 2. Sparsionem. 3. Ignis accensionem. 4. Lignorum dispositionem in altari. 5. Delationem membrorum ad altare, & quodcumque in altari peragendum erat, ad functiones Sacerdotales pertinuisse. Cujus distinctionis fundamentum est in descriptione rituum ad Sacrificia pertinentium *Lev.* 1. 3, 4. & *seqq.* ubi quaedam praestare jubetur dominus victimae, quaedam Sacerdos. Nos & hos ipsos ritus, quales fuerint, lustrabimus, & alios, qui sub his continentur, vel praeter hos in Sacris literis & scriptis Judaeorum memorantur, suis locis inferemus.

§. XV.
Constitutio
victimae
ante fa-
ciem Dei.

XV. Requiritur ante omnia ut victima adducatur a domino qui eam Deo offert, & constituatur ante faciem Dei: olim quidem ante ostium Tabernaculi, id est, in atrio *Levit.* 1: 3. postea in atrio interiori Templi לפני יהוה *coram facie Dei*, uti & de ipsis Levitis, qui agitandi fuere ut Sacrificium חנופה *agitationis*, & quibus manus imponebantur, bis dicitur הקרבת לפני

לפני יהוה *duces eos in conspectum Dei.*
Num. 8. 9. Ad quem ritum alludere videtur Paulus *Rom. 12: 1.* voce παραστήσαι, quum vult nos *Constituere* corpora nostra in Sacrificium vivum, sanctum, & gratum Deo. Sacrificia autem Sanctissima eo ducebantur per portam atrii Septentrionalem, quae oblationis dicitur, minus Sancta per meridionalem: quod si victimae tenerae essent, pedibus ligatis portabantur a dominis. Vide *Malach. 1: 13.*

XVI. Hanc sequebatur impositio manuum, vel manus, ut quidam volunt, licet probabilius sit utramque manum victimis fuisse impositam, quae per enallagen numeri saepe per ידו indicatur. Confer *Num. 27: 18. & 23.* Haec autem in eo consistebat, quod dominus vel domini, si plures essent, unus post alium, manus suas antea lotas maximo nisu (בכל כוהו) imponeret capiti victimae occidentem spectantis. Debebat illa fieri ab ipso domino non ejus vicario: nec ea legitime peragebatur a muliere, alienigena, stulto, minorenni, servo, surdo, aut coeco. Victimis privatis omnibus imponebantur manus, excepto Sacrificio primogenitorum ex animantibus, decimis, atque agno Paschali,

§. XVI:
Impositio
manuum.

schali, argumento loci *Levit.* 3: 2. quibus addi debent oblationes ex avibus. Victimis publicis non imponebantur manus, nisi his duabus, hirco dimittendo die Expiationis, *Levit.* 16: 21. & juvenco ob peccatum ignorantiae, quibus tria membra Synedrii manus imponebant. *Levit.* 4: 15. Ita quidem Judaei tradunt in *Menachoth.* ix. 7. licet 2 *Chron.* 29: 23. hircis piacularibus, pro toto populo oblatis, manus impositae legantur, & hinc alii colligant victimis omnibus piacularibus iisque publicis, quarum sanguis Templo inferri debuit, manus impositas fuisse. Eodem tempore quo manus imponebantur, dominus peccata sua confitebatur, aut transferebat in victimam: quod si Sacrificium salutare esset, Deum laudabat.

§. XVII.
Agitatio.

XVII. Erant tamen victimae quaedam, quibus non statim manus imponebantur, postquam essent adductae, sed quae agitandae fuere coram facie Dei *Lev.* 14- 12. & 23. 20. Haec actio תנופה appellatur, & non victimas tantum vivas, sed & membra quaedam earum & ferta nonnulla spectat. *Exod.* 29: 27. *Lev.* 7. 34. & 8: 27. *Num.* 5: 25. *Menachot.* v. 7. Sed distinguenda est illa agitatio, qua mem-

membra mactatae victimae agitabantur, uti pectus & armus dexter victimarum salutarium cum אִמּוּרִים *ablegminibus*, ab hac agitatione vivarum victimarum quam hic explicamus, & quae mactationem praecessit. Consistebat autem in eo (vide *Gem. Kidduschin. 36. 2. Gem. Succa. 37. 2.*) quod victimam impositam manibus domini Sacerdos manibus suis, quas supponebat manibus domini, agitaret versus quatuor oras 1. Promovendo eam 2. Reducendo, 3. Sursum elevando quod תְּרוּמָה proprie dicitur & cum תְּנוּפָה jungitur *Exod. 29: 27.* & 4. deorsum ducendo: quae his verbis in *Menachoth. v. 6.* notantur מוֹלִיךְ וּמְבִיא מֵעֵלָה וּמֵאֵתֶּר. Eadem phrasi utuntur in *Rosch haschana 11. 2.* ubi de facibus in monte oliveti accensis agunt, quae his 4 modis quatiebantur, ut aliis innotesceret consecratio novilunii. Sunt qui qui sex motus in hoc ritu distinguunt, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum, sursum & deorsum. Si plures Sacrificium salutare offerrent, quod agitandum erat, eo modo & tempore quo post dicitur, poterat unus omnium nomine agitare, secus ac in impositione manuum fieri solebat. Mulieres nunquam

agitabant, nisi suspecta adulterii & Naziraea. *Num.* 5: 18. *Num.* 6: 2. & 19. *Kiddushin.* 1. 8. Ceterum in *Menachoth.* v. 7. tres species rerum agitandarum ita recensentur.

1. שלמי יחיד Sacrificia salutaria privata agitantur mactata, non viva: & iis imponuntur manus.

2. שלמי ציבור Sacrificia salutaria publica agitantur & mactata & viva: nec iis imponuntur manus.

3. אשם מצורע Sacrificium pro delicto leprosi agitur non mactatum sed vivum. Ei imponuntur manus.

§. XVIII.
Mactatio.

XVIII. Eodem loco, quo manus impositae erant, victima mactabatur: & quidem nulla mora interposita. *Gem. Bera-coth.* 42. 1. quum scilicet illi (constrictae ad annulos in loco mactationis ad Septentrionem altaris, si essent Sacrificia Sanctissima, quorum erat שחיטת צפון, at si minus Sancta, in quovis loco atrii, vulgo tamen ad orientem) oesophagus & arteria aspera, quae Judaei שתי הסיטנין duo signa vocant, manu prehensae, cultro, plerumque sacro dicto סכין, inciduntur, ut

ut sanguis in vas **הַכֹּזֶרֶק** influat. Peragi
 maectatio potuit etiam ab Israëlita *Levit.*
 1: 5. licet essent victimae Sanctissimae, &
 maectans mulier, servus, vel immundus
 esset, sic ut atrium ei intrare non liceret;
 si scilicet ipse extra atrium constitutus cul-
 tro in atrium porrecto maectasset. *Zeva-*
chim. 111. 1. *Gem. Hier. Foma* 39. 2.
Midrasch Schemuel. 52. 1. scilicet **שְׁחִיטָה**
כְּשֶׁרָה בֹּזְרִים וּבְנָשִׁים וּבְעֵבָדִים אֲפִילוּ
בְּקִדְשֵׁי קִדְשִׁים: atque ita omnes hujus
 ritus periti maectare poterant, excepto sur-
 do, stulto, & minorenni, qui animum
 advertere ad actum sacrum non poterant.
Chullin. 1. 1. Sacerdotes tamen has partes
 plerumque in se suscepisse videntur, aut,
 si hi non sufficerent, *Levitae* 2 *Chron.* 29.
 24. 34. quod etiam ex fortibus aliquo mo-
 do liquet, de quibus supra.

XIX. Quinque autem res maectationem §. XIX.
 reddebant illegitimam. I. **שְׁחִיטָה**, *Mora*, Quibus re-
 si quis in actu maectationis cultrum ad tem- bus vitia-
 pus retraheret ante perfectam maectatio- retur.
 nem. II. **דְּרִסָּה**, *Pressio*, si quis sine
מְשִׁיחָה ductione & reductione cultri ma-
 ctaret, & guttur perumperet premens il-
 lud acie cultri. III. **הַלְדָּה**, *Occultatio*,
 si culter in maectatione absconderetur.

T 5

IV.

iv. גרמה, *Aberratio*, si culter supra *annulum הטבעת* aberraverit. *Chullin. I. 3.*

v. עיקור *Eradicatio*, si totum guttur abscinderet. Ad haec bene attendere debuit, quicumque victimam jugularet, & aliquoties se exercere in hoc actu coram sapientibus antequam solus mactaret.

§. XX. Un-
guefectio
avium.

XX. Necabantur quidem aves, (vid. *Chullin. II. 1.*) sed alio modo: מליקה dicitur hic ritus: nec dicuntur זובהין *sacrificantes* sed הונקין *strangulantes* eas. שדוט tamen de avibus usurpatur in *Midrash schir basschirim*, יונה פושטה *columba collum extendit ut mactetur* & in *Chullin. II. 1.* Sacerdos duos pedes avis apprehendebat duobus digitis manus sinistrae, minimo scilicet & qui ei proximus erat, alas vero duobus aliis, atque ita inter pollicem & indicem collum retortum ungue secabat. Quae inter functiones Sacerdotales difficillima fuisse dicitur. vide *Gem. Forna. 47. 2.* & *49. 2.* *Gem. Zevachim. 64. 2.* Iudaei volunt in holocaustis avium caput a corpore plane fuisse separatum, sed in sacrificiis piacularibus incisum quidem, sed non penitus ablatum. *Zevachim. VI. 4. 5.* Confer *Levit. 1: 16, 17.* & *5. 8.* Poterat

rat illa peragi in quavis parte altaris: at sanguis exprimebatur ad altare, si holocaustum esset, supra filum rubrum; si piaculare Sacrum, infra. *Zevachim. vi. 2.*

XXI. Sanguis victimarum vase argenteo, מִזְרֵק dicto, (αἷμνιον Graeci vocant & σφαγγεῖον, Philo Φιάλην) eoque sat magnam sanguinis copiam continente, quo facit phrasis *Zach. 9: 15.* מלאו כמזרק, excipiebatur. Haec actio לקיחה dicitur. Philo *lib. de victimis, p. 838.* alium fuisse scribit qui mactaret, alium qui sanguinem exciperet. Aliquando tamen manu, non vase, sanguis excipi solebat: veluti quum vacca rufa mactabatur, manu sinistra Sacerdos sanguinem excipiebat & digitum manus dextrae immittens in sanguinem sinistra contentum eum spargebat versus Aedem sacram. Illegitimum enim esse sanguinem vaccae rufae, nisi exceptum manu, דם ביד פרה לא היה כשר אלא ביד legitur in *Siphre. 20. 3.* Ita quoque quum leprosus in porta Nicanoris constitutus sanguine victimae mactatae adspergi debuit, duo Sacerdotes sanguinem excipiebant, unus vase, aliter manu. Qui vase exceperat, sanguinem ad altare spargebat, qui manu, ibat ad leprosum & illum tingeat. *Ne-gaim.*

§. XXI.
Sanguinis
exceptio.

guim. xiv. 8. Gem. Zevachim. 47. 2.
 Confer *Lev. 4: 25.*

§. XXII.
 Varii mo-
 di spargen-
 di sangui-
 nem.

XXII. Sequitur sparsio sanguinis זריקה
 & נתינה dicta, (uti apud Fabium Pi-
 ctorem, *lib. xvi. Juris Pontificii* legitur,
aquam manibus dato) vel הזייה: secun-
 dum illud Talmudicum in *Gem. Hier. Te-
 rumoth. 45. 2.* נקבל ואחכ זורק *exci-
 pit sanguinem & dein spargit.* Quatuor di-
 versis modis sanguis victimarum, a Sacerdo-
 te agitatus aliquando ne concreceret, spar-
 gebatur, 1. Ad cornua altaris exterioris.
 2. In Sancto & Sancto S. 3. Ad angulos
 4 altaris exterioris: 4. Ad basin altaris.
 Hic ritus ex praecipuis est, qui ad Sacri-
 ficia requiritur, עיקר הקרבן, quum
 ipsam expiationem peccati tum demum fa-
 ctam esse Judaei tradant, quando victima-
 rum sanguis altare humectabat: secundum
 verba Gemarae *Zevachim. 26. 2.* כיון
 שהגיע דם למזבח נתכפרו בעלים
*quum sanguis attingit altare, expiantur pec-
 cata offerentium:* quo & illud *Hebr. 9: 22.*
*facit, χωρις αιματος χυσις & γινεται αφε-
 σις, sine effusione sanguinis* (non illa effu-
 sione, qua ex corpore victimae effluit,
 sed illa qua effunditur in altari) *non fit
 remissio peccatorum.* Sic ante sparsionem
 san-

sanguinis, jus non habebant Sacerdotes in pelles victimarum: nec ante illam licuit Naziraeo vinum bibere, aut pollui mortuis. *Nazir.* vi. 9.

XXIII. Ut autem distinctius intel- §. XXIII.
ligatur ritus adspersionis sanguinis ad Adspersio
quatuor cornua altaris, quae propria est sanguinis
victimis piacularibus quae comedebantur, ad 4 cor-
nua altaris.
Lev. 4: 7. (quae sparsiones 4 כַּתְנוֹת nuncupantur) notandum est Sacerdotem sanguinem vase exceptum detulisse ad altare, & conscenso clivo qui ad orientem clivi maximi erat, in circuitu medio ad cornu altaris quod inter orientem & austrum erat substitisse. Hoc loco digitum indicem manus dextrae in sanguinem intingebat, & illum exemptum admoto ungue pollicis ita premebat, ut sanguis angulum illius cornu humectaret. *Gem. Zevachim.* 53. I. Αἵματι δέυει τῶν γωνιῶν τὰς ἐξοχὰς, scribit de hac sparsione Josephus *Antiq.* III. 10. Reliquias sanguinis, digito adhaerentes, quibus aliud cornu adspargere non licuit, (ad unamquamque enim sparsionem intingere denuo digitum in sanguinem debuit, secundum canonem Judaeorum על כל (הזייה טבילה) ad marginem vasis abstergebat: dein ad cornu alterum perrexit, re-
peti-

petito eodem ritu; tum ad tertium, denique ad quartum, sive notozephyrinum, in quo omnes sanguinum adspersiones & effusiones desinebant, & ad cujus basin in foramen meridionale reliquiae sanguinis effundebantur, ad rivum Kedron deferendae. *Meila. III. 2.* non sine respectu, ut videtur, sanguinis Christi ante quidem in Gethsemane circa rivum Kedron, & ultimo ad occidentem Hierosolymae effusi.

§. XXIV.
Sparfio in
Aede Sa-
cra.

XXIV. Illarum autem victimarum piacularium, quae comburebantur, sanguis inferebatur in Aedem Sacram, ubi sparsiones vel in Sancto Sanctorum vel ad cornua altaris suffitus fiebant, & reliquum ad basin altaris exterioris in foramen occidentale effundebatur. vid. *Lev. 4: 7. & 8. 15.* Vacca quidem rufa comburebatur, sed uti multa habebat singularia, ita non tantum cum pelle & fimo sed & ablegminibus (quae alias in altari adolebantur *Lev. 8: 16.*) tanta quanta igne consumebatur: nec sanguis in aedem Sacram inferebatur, sed quicquid supererat praeter sanguinem manu Sacerdotis sparsum versus aedem sacram, igni cedebat.

§. XXV.
Sparfio

XXV. Sanguis holocaustorum, uti & Sacrificiorum pro delicto & salutarium, tam

tam privatorum quam publicorum, adspersus sanguinis
 gebatur altari hac ratione quae multum di- ad 4 latera
 versa est ab adspersione sanguinis Sacrifi- altaris.
 ciorum piacularium. Sacerdos sanguinem
 vase exceptum deferebat ad angulum alta-
 ris, qui orientem & aquilonem interja-
 cet, & ibi sanguinem ex vase spargebat
 in ipsum angulum, infra filum rubrum,
 ita ut sanguis hac & illac instar Graeci Γ
 diffusus latus orientale & boreale (זיוות
 ה'מזבח, Zach. 9: 15.) humectaret. Hoc ap-
 pellant Talmudici sparsiones duas quae effi-
 ciunt quatuor. Deinde ad angulum notoze-
 phyrinum pergens eodem ritu duo latera al-
 taris occidentale & australe adspergebat &
 reliquias sanguinis effundebat ad basin.

XXVI. Denique in Sacrificiis primo- §. XXVI.
 genitorum ex animantibus, decimis eo-
 rundem, & agno Paschali sufficiebat, uti¹ effusio
 Hebraei tradunt, sanguinem effundi ad sanguinis
 fundamentum altaris: quo cum caruerit ad basin.
 angulus altaris Euro australis, uni ex re-
 liquis tribus ille affundi debuit: solebat au-
 tem fieri ad angulum altaris notozeephyri-
 num: sic ut hic unica tantum sparsio re-
 quiratur. Num. 18: 17. Zevachim. v. 8.

XXVII. Nonnunquam sanguis effun- §. XXVII.
 debatur in canalem Templi ה'מזבח dictum, Effusio
 per

fanguinis
in canalem
Templi.

per quem in torrentem Kedron deferebatur. Id fiebat in sacrificiis pro delicto dubio: si post mactationem ejus intelligatur offerentem non peccasse. Tunc scilicet caro in בית שרפה, *loco combustionis*, cremabatur & sanguis infundebatur in canalem Templi. Ita quidem R. Eliezer opinabatur, secundum cujus tamen opinionem הלכה non est. *Kerituth. vi. i.*

§. XXVIII.
Excoriatio.

XXVIII. Excoriatio, ad quam non requirebatur (poterat tamen adhiberi, 2 *Chron. 29: 34.*) opera Sacerdotis, fiebat, post sparsionem sanguinis. Ut autem haec commodius peragi posset, octo columnae lapideae ad septentrionem altaris erant collocatae, quibus imposita erant ligna cedrina, quae transtra appellari possunt. *Mid-doth. 111. 5.* Hinc suspendebantur victimae, ita ut pedes posteriores perforarentur.

§. XXIX.
Dissectio.

XXIX. Hanc sequebatur dissectio victimae in partes, *Lev 1: 6.* caput, crura, armos, atque ita porro decenti ordine, ad quem creditur spectare τὸ ὀρθοτομεῖν 2 *Tim. 2: 15.* Viscera autem & crura eruta lavabantur (*Lev. 1: 6.*) in conclavi lavantium, stante scilicet Templo II. & dein referebantur ad mensas marmoreas positas inter

inter columnas, ubi eadem accuratius lavabantur, excepto stomacho, & ut quidam volunt, intestinis, bile, liene, & si quid aliud hominum alimento minus conveniens est; quum ob eandem rationem etiam pellis in altari offerri non consueverit, aut mensae Deo (quo nomine altare *Malach. 1: 7.* nuncupatur) imponi. Haec omnia videntur, antequam ad altare deferrentur, spongia siccata fuisse, ut flammam citius conciperent, cujus ritus Hebraei meminerunt in enarrando holocausto arietis ab Abrahamo oblatis, loco Isaaci *Gen. 22.* Vide *Tanchuma. 78: 4. Schekalim. vi: 4.* Potest & hoc sub καθαρτοποιεῖν comprehendi, quam vocem de Sacerdotibus circa victimas occupatis Josephus usurpat, *Antiq. III: 10.*

XX. His peractis deferebantur membra victimae a loco maclationis, per spatium inter altare & aedem Sacram, usque ad mensam marmoream ad occidentem clivi altaris, & inde ad altare, si holocaustum esset, & quidem si ex minori pecore, per sex sacerdotes. *Schekalim. VIII: 8.* Quid singuli tulerint, dictum est supra, *pag. 193.* Quod si non esset ovis vel capra, sed aries, duo Sacerdotes intestina portabant.

§. XXX.
Delatio ad
altare.

V

His

His si addamus unum qui fertum, alterum qui libamen, portabat, intelligitur ad Sacrificium ovis & caprae & Sacerdotes pertinuisse, ad arietis 1 1, (nam duo fertum, duo libamen portabant) ad bovis 2 4, quia majores partes erant & per plures portandae. Ita legitur in *Echa rabbat*. 62: 1. Diversis quoque locis in altari reponebantur partes victimarum offerendarum antequam in ignem altaris conjicerentur. Vide *Sche-kalim*. VIII: 8. *Gem. Succa*. 54: 2. חלבי תמיד, *membra* (nam nomine חלבי omnia membra victimae intelligi כל איברי דעולה קרי חלבי Judaei monent) *Sacrificii jugis* collocabantur in clivo altaris medio ad ortum ולמטה *infra partem clivi mediam*. Sacrificia addititia, מוספין, ad occasum *infra partem clivi mediam*. Sacrificia noviluniorum *infra כרכוב*, ambitum altaris supremum.

XXXI. Deinde saliebantur partes victimarum in ipso clivo על גבי הכבש *Gem. Menachot*. 21: 2. At in summo altaris, בראשו של מזבח saliebantur pugillus farinae, thus, pulvis suffitus, fertum Sacerdotum, fertum Pontificis Maximi, ferta libaminum, & holocausta avium. Adhibebant plerumque ad hunc usum Sal Sodo-

§. XXXI.
Saliuo.

domiticum, petatum ex lacu Asphaltite; quod si illud haberi non posset, licebat uti מלח איסתרוקנית, id est, sale Ostraciniensi. Urbs Ostracine vicina fuit Rhinoculuris & lacui Sirbonis, cujus aquae forsitan huic sali conficiendo fuere adhibitae.

XXXII. Quaedam sacra comedebantur ex parte, uti victimae piaculares & pro delicto (si sc. non essent totius populi vel Pontificis Maximi; eae enim extra castra comburebantur) uti & quaedam ex fertis. Haec autem tria, ut & salutaria publica, non nisi a sacerdotibus familiae ministrantis iisque maribus & quidem in Atrio magno comedebantur. *Num.* 18: 10. Sed salutarium privatorum pectus & armus comedebantur a facminis aequae ac maribus mundis *Num.* 18: 11. (Confer *v.* 18.) per totam urbem. *Lev.* 10: 14. Ita quoque se res habebat cum decimis & agno Paschali. Primogenitis vero soli Sacerdotes vescebantur. Sorte autem distribuebantur sancta edenda inter Sacerdotes. Vid. *Sabbath.* 21: 2. licebatque iis ea assata, elixa, cocta, pro arbitrio comedere. *Zevachim.* x: 7.

XXXIII. In quatuor actibus scilicet 1. ma- §. XXXIII
statione, 2. exceptione sanguinis 3. sparsione De מנוה

sive pro-
fanato Sa-
crificio.

vel 4. oblatione victimae, poterat Sacrificium fieri פגול *profanum*, sic ut nec Sacerdoti nec Israëlitae, cujuscunque sexus foret, id comedere liceret, secundum Legem *Deut.* 14: 3. Quando, verbi gratia, Sacerdos, dum victimam maectat, vel sanguinem excipit, aut spargit, aut victimae partes in altari offert, profanas intentiones circa illam concipit, & sibi proponit illam edere extra tempus a Deo comestioni destinatum. Illae autem cogitationes ad tria referri possunt מחשבת שנוי השם, ומחשבת זמן, ומחשבת המקום, id est, 1. nomen Sacrificii non suum sive illegitimum, si sc. holocaustum offerre proponat nomine Sacrificii piacularis; 2. locum illegitimum, 3. tempus. Hujus mali propositi & inde ortae pollutionis poena solum Sacerdotem sequitur, & illum qui sciens de illo sacrificio comederit. Si quis autem inscius de eo comedisset, offerebat *Sacrificium piaculare fixum*. Ne autem profanum redderetur hoc modo Sacrificium, aderant maectationi qui Sacerdotes admonerent, ne committerent ejusmodi facinus היו מזהירין אותם בעת ששוחטים שלא יפגל אחד מהזבחים *Schir Hasschirim Rabba fol. 22: 1.*

XXXIV. Tempus comestioni destina- §. XXXIV.
 tum in Sacrificiis piacularibus, pro delicto, Tempus
 ac salutaribus publicis (quibus additur hoc comestio-
 respectu Sacrificium תודה, & aries Na- nis.
 ziraei) erat dies maētationis & nox se-
 quens *Lev. 7: 15.* sed in reliquis Sacrificiis
 salutaribus privatis, primogenitis animan-
 tium, & decimis, erat dies maētationis, nox,
 & dies sequens usque ad occasum solis.
 Agni Paschalis comestio usque ad mediam
 noctem erat permessa, non ulterius: quod
 constituerunt Judaeorum Doctores, ut eo
 longius a peccato homines arcerentur, se-
 pem Legi circumdantes, uti loquuntur
 Gemarici, licet secundum mandatum Dei
 tota nox apta esset ad comestionem, & qui
 modo ante ortum aurorae comedisset, offi-
 cio suo satisfecerat, quod Hebraei dicunt,
 יצא ידי חובתו. Quod autem extra tem-
 pus comestioni destinatum supererat, igne
 cremari, & quidem interdium, debuit.
Levit. 7: 17.

XXXV. In Atrio igitur, vel intra vela, §. XXXV.
 stante Tabernaculo, nonnulla comedi a Comestio-
 Sacerdotibus debuerunt, nonnulla extra A- nis locus.
 atrium fuere licita. Quum Schilunte esset
 Tabernaculum, Sanctissima quidem intra
 vela comedebantur, sed minus Sancta in

omni loco unde Schilo videri poterat. *Megilla. 1: 11.* Ut autem distinctius intelligatur, quae extra Atrium comedenda a sacerdotibus fuerint, examinanda sunt 24 מתנות, five *dona*, quae ad sacerdotes pertinebant, & partim ex animantibus, partim e rebus inanimatis constabant; quaeque respectu comestionis aut usus distinguuntur. Vide supra, *pag. 186.*

§.XXXVI.
Personae
comeden-
tes.

XXXVI. Ad Sacrificiorum quorundam comestionem ipsi domini admittebantur, uti agnum Paschalem, decima, & salutaria: ad Sanctissima autem, & ad omnes illas decem res, quas *pag. 186.* recensuimus, nomine קדשי המקדש soli sacerdotes, quos liquido constabat esse ex posteris Aaronis *Nehem. 7: 65.* & quidem mundi, iique mares. *Levit. 6: 22.* Ad illa quae Hierosolymis comedi debuerent, sacerdotes eorumque uxores & filiae, ac filii apti erant. *Num. 18: 11.* etiam servi & ancillae: non tamen illa tradebantur, nisi sacerdotibus ephemeriae ministrantis, qui ex 24 donis modo recensitis 19 accipiebant. Sed ad omnes promiscue sacerdotes pertinebant, & dari poterant cui aliquis vellet. 1. Primitiae. 2. Decimae e decimis. 3. Placenta, חלה, 4. Armus, ma-

maxillae, & ventriculus ex animantibus profanis. 5. Primitiae lanae tonsae. Alii tamen paulo aliter ea distinguunt. Vide supra. pag. 187.

XXXVII. Nonnullae erant victimae, §. xxxvii. Combustio. quae comburebantur, vel in altari exteriori, uti holocausta; vel extra Urbem, qui locus בית הדשן, quod cineres altaris eo deferrentur. Meila. 11:4. vel בית שרפה dicitur. Foma. vi:7. Kerituth. vi:4. uti illae quarum sanguis in Aedem Sacram fuerat illatus; vel in monte Templi ad locum לפני הבירה, si hostiae piaculares cremandae fuissent, & postquam elatae fuerant ex Atrio vitium contraxissent; vel denique in ipso Atrio, ubi omnes victimae temeratae comburebantur. Temura. vi:6. Prima combustio a sacerdote fieri debuit, ad reliquas alii quoque erant donei. Erant praeterea victimae, quarum אימורים, *ablegmina*, comburebantur in altari exteriori, & quidem e tribus sanctioribus Sacrificiorum speciebus, Sacrificiis piacularibus, Sacrificiis pro delicto, & salutaribus publicis, quae אימורי קדשי *ablegmina sacrificiorum sanctissimorum* nuncupantur, distincta ab אימורים קדשים קלים *ablegminibus sacrificiorum*

minus Sanctorum, sc. 1. Sacrificiorum salutarium privatorum, 2. Primogenitorum animantium. 3. Decimorum animantium & 4. Agni Paschalis. Vide *Echa Rabbati*. 54: 3. *Midrasch Esther* 127: 2. *Seder olam rabba cap. 7.*

§. xxxviii.
Series
rerum
combu-
rendarum.

XXXVIII. Non videtur inconueniens huic loco, dum de combustione agimus, seriem exhibere rerum illarum, quas Iudaei comburendas fuisse tradunt, qualque sepeliendas; quum natura Sacrificiorum hinc lucem accipiat, & omnes illae res Sacrae dici possint. Comburenda haec sunt 1. Omnia Sacra, tempore aut loco non suo mactata, & ferta contaminata. 2. Sacrificium pro delicto dubio, si ante sparsionem sanguinis domino innotuerit se nihil deliquisse. 3. Sacrificium ex ave pro delicto dubio. 4. תרומות sive primitiae pollutae. 5. Miscella vineae *Deut.* 22: 9. 6. Praeputium arborum, ערלה. *Levit.* 19: 23. Confer codicem *Orla*. 7. Capilli Naziraei mundati *Num.* 6: 18. R. Juda his addit fermentum tempore Paschatis. *Temura.* VII: 5.

§. xxxix.
Series re-
rum sepe-
endarum

XXXIX. Sepelienda vero haec sunt. 1. Victimae vel altari sacratae vel reficiendo Templo, quae mortuae sunt. 2. Quae

Quae abortum fecere: quod si secundinas enixae fuissent, solae secundinae comburentur. 3. Bos lapidandus. *Exod.* 21:28. & quae illo nomine continentur, ferae & aves quae nocere possunt. 4. Vitula decollanda, *Deut.* 21:23. 5. Avis ieprosi. *Levit.* 14:7. 6. Capilli Naziraei immundi. 7. Primogenitus asinus. 8. Caro lacte condita *Deut.* 14:21. *Exod.* 23:19. & 34:26. (Quae tria loca indicantur in *Gem. Kidduschin.* 57:2. notaturque esse ad interdictum. 1. אכילה. *edere.* 2. בשול, *coquere.* 3. הנאה, *fructum inde percipere*) & 9. Bestiae profanae aut ferae in atrio mactatae. *Temura.* VII:4. Nunquam illa quae comburenda erant, licebat sepelire, aut comburere sepelienda.

C A P. I I.

De Holocaustis.

I. **D**E septem generibus Sacrificiorum §. I. Notante memoratis acturi ab Holocaustis initium facimus. Appellantur ea תולות, Graecis interpretibus καρπώματα *Exod.* 30:9. ὀλοκαυτώματα *Exod.* 10:25. Philoni & aliis ὀλόκαυσα, & Latine *solida*,
 V 5 quod

quod tota, paucis exceptis quae mox indicabuntur, igne consumerentur: unde & nomen כָּלִיל *Psal.* 51:21. & גִּמְדָּה iis tribuitur.

§. II. Distinctio ab aliis Sacrificiis.

II. Hieronymus ad *Ezech.* 45: p. 1042. scribit, *Holocaustum esse quod totum offertur Deo & sacro igne consumitur*, idemque ad *Jes.* 56. pag. 411. *Holocausta sunt, quae super altare integra concremantur. Victimae & hostiae, quarum pars offertur altari, pars Sacerdotibus traditur.* Hec distinguuntur holocausta a reliquis Sacrificiis, veluti *Exod.* 18: 12. Jethro obtulisse legitur עֹלָה וּזְבָחִים, quod Hieronymus reddit, *holocausta & hostias.* Josephus etiam *lib.* III. *Antiq. cap.* 10. ubi distinxisset *ἱερουργίας* omnes in duo, publicas scilicet ac privatas, subjungit utramque *κατὰ δύο τρόπους duobus modis fieri*, aut enim *ὀλοκαύτωμα* esse, quod totum igne consumitur, vel esse *χαριστήριον* & in epulum offerentium cedere: subditque *χαριστήριος* sive Sacrificiis salutaribus piacularia & pro delicto, quia modo non multum diverso a salutaribus, *ὁμοίως τῷ προειρημένῳ τρόπῳ τῶν χαριστηρίων ἱερουργίας*, illa offeruntur.

§. III. Prae-stantia.

III. Holocausta dignitate excellunt prae aliis Sacrificiis, quod tota Deo cederent,

rent, flammis in altari exteriori combu-
renda, quum reliquorum portio ad Sacer-
tes aut dominos offerentes rediret. Philo
propterea *lib. de victimis, pag 838.* ab ho-
locaustis initium se facere describendorum
Sacrificiorum scribit, quod illa essent prae-
stantissima, τὴν ἀρχὴν ποιησαμένους ἀπὸ τῆς
ἀρίστης ἀρίστη δὲ ἐστὶν ἡ ὁλόκαυτος. Moses etiam
Levit. 1:3. ab holocaustis exordium ducit
Legum a Deo de Sacrificiis latarum.

IV. Creduntur vulgo omnium Sacrifi- s. IV. An-
ciorum antiquissima, quod Jobus, Abra- tiquitas.
hamus *Gen. 22:13.* & ipse Noachus *Gen.*
8:20 עולה Deo obtulisse legantur. An
vero Sacrificium Abelis, qui מכורות
זאנו ומחלביהן *de primogenitis pecudum*
suarum & adipe earum Deo munus obtu-
lit, ad holocausta potius referri debeat,
quam ad Sacrificiorum speciem quintam
sc. primogenitorum animantium, multi
dubitant; licet respectu rituum magnam
differentiam fuisse concedant inter Abelis
Sacrificium primogenitorum & illud quod
stante republica Judaica offerebatur. Por-
ro oblatio Caini, quae ante Sacrificium
Abelis describitur *Gen. 4:3.* & appellatur
מנחה מפרי האדמה *munus e fructu ter-*
rae, a nonnullis in censum τῶν שלמים
five

five Sacrificiorum salutarium referri solet, quum frugum primitiae una cum agnis duobus Sacrificium salutare constituentibus oblatae legantur *Lev.* 23: 17. & 19. sed praestat eam *Fertis מנחות* annumerare. Disputatum fuit olim de hac re inter R. Lazarum & R. Josen filium Chaniae in *Gem. Hier. Megilla.* 72: 1. & in *Schir haschirim rabba.* 29: 4. R. Lazar dicebat Abelem & alios ante Mosen, quos *שלמים בני נוח* appellant, obtulisse *שלמים*, quia legitur *Gen.* 4: 4. *מהלביהן*: sed R. Jose dicebat fuisse *עולות*; ideoque, quum in Levitico legitur, haec est Lex *טֹוֹב שלמים*, addi *אשר יקריבו*, quod offerent, deinceps scilicet, quoniam holocausta jam olim obtulerant. Verum & de holocaustis legitur *יקריבו* aequae ac de salutaribus.

§. V. Divi-
sio.

V. Erant illa duorum generum: Publica, qualia agni Sacrificii jugis, & Privata, qualis agnus leprosi. Praeterea dispe-
sci possunt in illa quae Israëlitae offerebant, & quae a Gentibus offerebantur: sola enim inter omnes Sacrificiorum species holocausta tam avium quam quadrupedum fuerunt, quae Gentes offerre Deo poterant: nec tamen licebat Judaeo ho-
stias

stias earum extra atrium Sacrificare. Quum sub Romanis essent Judaei, hostias ab iis datas sacrificabant: unde Tertullianus in *Apolog. Cujus & Deum victimis, & templum donis, & gentem foederibus aliquamdiu Romani honorastis. Vid. Josephum de Bell. 11: 30.* Eleazar autem filius Ananiae persuasit Sacerdotibus ministrantibus ne holocaustum ab Ethnicis acciperent: & hinc origo tumultuum contra Romanos. Hebraei scriptores narrant hostias a Romanis missas ad templum Hierosolymitanum a Bar Kamza, scelerato homine, clam mutilatas vitiatasque fuisse ut evaderent בעלי מומין, & quum propterea illas offerre recusarent Judaei, Romanis id significasse homines alios, Praefecto, sive אילין קורבנייא דאת השולטון משלח ליהודאי למיקרבינהו אינון אכלין להון ומקרבין אחרין בחילופייהו *Hostiis, quas mittis Judaeis ut eas offerant, non utuntur: sed alias earum loco offerunt.* Ita legitur in *Echa Rabbati. 82. 3.* Imperator Augustus jusserat quotidie in Templo holocausta, agnos duos scilicet, & taurum, offerri pro se, διατάξατο ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὅλο-

ὀλοκαύτως τῶ ὑψίστῳ Θεῷ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, αἱ μέχρι νῦν ἐπιτελῶνται. Ἄρνες εἰσι δύο καὶ ταῦρος τὰ ἱερεῖα, οἷς Καῖσαρ ἐφήδρυνε τὸν βωμόν. Sunt verba Regis Agrippæ in epistola ad Cajum, quae leguntur apud Philonem, *Legatione ad Cajum. pag. 1036.* Si cum his holocaustis Gentes *ferta* & *libamina*, נְסֻכִים, misissent, offerebantur: si non, aere publico emta holocaustis addebantur. Huc referunt Judaei verba *Deut. 7: 16.* וְאָכַלְתָּ אֹתָם כֹּל הָעַמִּים quia scilicet Israelitae edunt נְסֻכֵיהֶם שֶׁל אֻמּוֹת *של אומות* נְסֻכֵיהֶם *של אומות* *ferta Gentium.* vide *Midrasch schir hasschirim. 36. 3.* Ceterum in his Gentium holocaustis multa erant singularia: manus iis non imponebantur, leges de פְּגוּלָה & מוֹתֵר in iis locum non habebant, id est, non profanabantur mala intentione Sacerdotis, nec necesse erat ut reliquiae post tempus comestioni destinatum comburerentur.

§. VI. Animalia & eorum oblatio.

VI. Quinque erant animalium species, e quibus holocausta parari poterant, Boves, oves, caprae, turtures, & pulli columbarum: quorum tria priora sexus masculini esse debuerunt. *Levit. 1: 3. 10.* Josephus, *Antiq. 111. 10.* Ἄρνενα ὀλοκαυτῶνται τὰ πάντα. Atque ita Hebraei, אין עולה

עולה נקבה. Cui legi contraria non est oblatio vaccarum a Bethsemitis in holocaustum, 1 Sam. 6: 14. qui casus plane erat extraordinarius: vel combustio vaccae rufae, quod Sacrificium proprie non erat. Haec si integra essent & immaculata nec morbo aut senio confecta (id est, bos supra triennium aetatis, agnus supra biennium) in Tabernaculum aut Templum deducta, & quo dictum est modo supra cap. 1. mactata, pelle nudata, ad altare delata, in altari conflagrabant, & quidem omnes omnino animalium partes excepto stomacho, & ut quidam volunt, intestinis, liene, & folliculo fellis. Eximebatur etiam ex victima גיד הנשה, *nervus luxationis*, & in pomum cineris, quod erat supra altare, conjiciebatur. vide *Chullin. VII. 1.* & *Gen. 32: 33.* Nervus hic e sanctis aequae ac profanis animalibus, quum mactantur, eximi debet, tam intra quam extra terram, sive stante Templo sive non. Licitum quoque erat ex ave holocaustum facere. *Levit. 1: 14.* quod non זבה sed קרבן appellatur, quum sanguine ad altare expresso (*Kinnim. 1. 1.*) & ingluvie ad locum cineris ad orientem altaris rejecta, corpus salitum igne cremabatur. Pelles ho-

holocaustorum cedebant sacerdotibus, qui inde quaestum percipiebant uberrimum: ita Philo notat *lib. de Sacerdotum honoribus. pag. 833.* Δορὰς προσάπτει τὰς ὑψηροτέρων ταῖς θυσίαις ἱερεῖς λαμβάνειν, ἔβραχεῖαν, ἀλλ' ἐν τοῖς μάλιστα πολυχρήματον, δωρεάν.

§. VII. Holocaustum avis.

VII. Si aut turtures aut pulli columbarum in holocaustum offerrentur, eo modo, quo Capite primo indicavimus, sacerdos avem ungue secuit in quavis parte altaris, & sanguine omni expresso ad latus altaris supra filum rubrum (quum sanguis holocaustorum e quadrupedibus infra illud spargeretur) caput a corpore separatum & in summo altaris salitum in ignem injecit: dein ingluvie & extis minus aptis ad hominis alimentum, & ut quidam volunt, etiam plumis, in locum cineris ad orientem altaris abjectis, alis nequaquam avulsis, corpus ipsum avis salitum igni tradidit. *Levit. 1: 14-17.*

C A P. III.

De Sacrificiis piacularibus.

§. I. Nomen.

I. SECUNDA Sacrificiorum species אָנֹשֶׁת Sappellatur, Graecis Interpretibus

περὶ

περὶ ἁμαρτίας, Josepho περὶ ἁμαρτάδων, Latine vulgo Sacrificium piaculare, vel pro peccato. Vocem תַּטְחַת explicant in *Gem. Hier. Foma.* 40. 4. per שגגות *errores*, veluti פשע per מרדים *rebelliones* & עונות per זדונות *commissa de industria*. In Targum תַּטְחַת *Gen.* 18: 20. redditur חובתהון *debitum eorum*, uti & *Math.* 6: 12. ὀφειλήματα appellantur peccata, & *remittere debitum* ibidem, quod Chaldaei dicunt שבק הובין. vide Targum, *Exod.* 32: 32. Certe qui non per errorem, sed sciens prudensque peccaverat, ἐκασίως ἁμαρτάνων, non expiabatur culpa ejus ullo sacrificio piaculari, οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία. *Hebr.* 10: 28. Debet etiam animus adesse erroris sui conscius cum dolore: & uti Philo fatetur *lib.* 111. *de vita Mosis*, sacrificia ab hominibus pravis, qui se non corrigunt, oblata nil promovent, quoniam sacrificia nequaquam abolent ipsa peccata, sed in memoriam revocant, οὐ λύσιν ἁμαρτημάτων ἀλλ' ἐπόμνησιν ἐργάζονται. Paulus quoque in *Epist. ad Hebraeos cap.* 10: 3. in sacrificiis factam ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν, *commemorationem peccatorum* agnoscit. Haec sunt sacrificia stultorum, *Ecclesiast.* 4. ult. quae

ab iis offeruntur qui non resipiscunt,
 דמקרבין קרבניא על חוביהון ולא
 תיבין סן עובדיהון. Ita est in Targum
 eo loco. *Si enim in sceleribus permanentes
 putaverimus votis atque sacrificiis redimere
 nos, vehementer erramus,* sunt verba Hie-
 ronymi ad *Ferem.* 14 pag. 597.

§. II. Di-
 stinctio a
 Sacrificiis
 pro deli-
 cto.

II. Sunt inter Judaeos & Christianos
 qui Sacrificia haec sub uno genere & no-
 mine *ἱλασικῶν* cum אשמות, Sacrificiis
 pro delicto (quae nobis tertia species est)
 comprehendant, quod utraque pro cul-
 pis commissis eodem nomine אשמת (vi-
 de *Zevachim.* IV. 6.) offerrentur, & neu-
 tris farta aut libamina addi consueverint,
 quae holocaustis & Sacrificiis salutaribus
 addebantur; quod neutra fierent ex voto
 vel promisso; quodque nihil ex his duo-
 bus Sacrificiis domini comederent, sed
 pars altari, pars Sacerdotibus, cederet.
 Nos tamen, quum haec duo Sacrificia ha-
 beant distincta nomina, culpae quoque
 quae unum & alterum postularunt, &
 animalia ad oblationem idonea, & ritus
 diversi sint, separatim ea exponi debere
 arbitramur. Adde quod nomen *ἱλασικῶν*
 non his tantum sed & aliis Sacrificiis con-
 veniat. Noachus holocausto *ἱλασικῶν* Deum
 pla-

placavit. *Gen. 8: 21.* & in *Tanchuma* 52.

4. holocaustum scribunt esse *ἱλαστικόν*,
 עולה מכפרת על עונותיהם של ישראל
Holocaustum expiat peccata Israël.

III. Erant ea vel publica vel privata, §. III. Pu-
 uti superius Cap. 1. videri potest. Inter illa blica &
 autem magna intercedebat distinctio. Ex privata,
 Publicis nulla comburebantur praeter 1. qua in re
 diversa.
 'שעיר יום הכיפ' hircum die Expiationis
 offerendum, socium hirci emissarii, & 2.
 'שעירי עז' hircos ob idololatriam, & 3.
 'פר עלם' juvenicum ob errorem: *Lev. 4:*
 13. cetera enim a Sacerdotibus comede-
 bantur. Publica omnia masculis, privata
 constabant animalibus faeminis, excepto
 hirco Principis, juvenco ob errorem Pon-
 tificis uncti, על כל המצוות, (*Levit.*
 4: 2.) & ejusdem juvenco die Expiationis
 offerendo. *Gem. Temura.* 116. 1. Privata
 nulla comburebantur praeter 1. פר הבא
 על כל מצוות *Lev. 4: 2.* juvenicum ob er-
 rorem P. M. 2. פר יום הכיפור, &
 ejusdem juvenicum die expiationis offeren-
 dum, quem statim memoravimus, sed co-
 medebantur.

IV. Dividuntur quoque Sacrificia pia- §. IV. Pia-
 cularia I. In *stata & non variantia*, quae si- cularia
 ve a divite sive a paupere offerrentur, ean- fixa.
 dem

dem oblationem postulabant; quum sc. ut Judaei volunt, peccatum erat 1. Per errorem. 2. Contra praeceptum negativum, sive *interdictum*, כִּצוֹת לֹא תַעֲשֶׂה, quae sunt 365, uti praecepta affirmativa sive mandata, כִּצוֹת עֲשֶׂה sunt 248, quae juncta 613 efficiunt. 3. Opere, non verbo. 4. Quod si data opera admissum fuisset, poenam *excidii* כִּרְתַּת meruisset, quae poena a Deo infligitur, כִּרְתַּת בִּידוֹ שָׁמַיִם, dicta *Gem. Kidduschin. 74. 2. Gem. Schabbath. 69. 2.* & quidem ob sex & triginta res, quae recensentur in *Kerituth. 1. 1.* veluti 1. si quis rem habuerit cum matre. 2. cum noverca. 3. cum sponsa; atque ita porro. & II. In *Sacrificia variantia*, quae plus a divite quam a paupere offerri jubebant. Illam speciem קָבוֹעַ Judaei appellant, quasi *Sacrificium fixum* aut *definitum*, hanc עוֹלָה וְיֹרֵד *crescens & decrescens* (*Kerituth. 11. 3. Gem. Horaioth. 8. 2.*) sive *majus & minus*, quod pro facultatibus hominum offerentium auferetur vel minueretur.

§. V. Gradata.

V. Sacrificia posterioris generis, sive variabilia a sex hominibus offerri poterant. I. Leproso, qui a lepra mundatus agnum unum ad holocaustum, alterum ad Sacrificium

ficiam pro delicto, & agnam ad Sacrificium piaculare afferebat: quod si facultates ejus id non paterentur, turtures duos, aut pullos columbae, alterum ad holocaustum, alterum ad Sacrificium piaculare & agnum ad Sacrificium pro delicto. *Levit. 14: 21.* II. Puerpera, quae agnum anniculum ad holocaustum & pullum columbae vel turturem ad Sacrificium piaculare, offerebat die 41. a puerperio, si masculum; die 81, si faeminam peperisset. Quod si pauper esset, turtures aut pullos columbae duos, unum ad holocaustum, alterum ad Sacrum piaculare, uti Maria, obtulit *Luc. 2: 24.* Confer *Levit. 12: 4.* III. Qui rem sibi cognitam celaverat, de qua *Levit. 5: 1.* id est, si testimonium ab eo requiratur, & juret se id praebere non posse. IV. Qui inscius falso juraverat. V. Qui quum pollutus esset, inscius rem sacram comederat. VI. Qui pollutus existens Templum intraverat. Hi quatuor agnam aut capram ad Sacrificium piaculare offerebant: quod si pauperes essent, turtures duos vel pullos columbae, alterum ad holocaustum, alterum ad Sacrum piaculare. *Lev. 5: 2. 3. &c.* Quod si ne hoc quidem prae paupertate sibi com-

parare possent, decimam partem ephae similaginis, sine oleo & thure, in Sacrum piaculare offerebant, quod *fertum peccatoris* appellatur. In *Kerituth. 11. 4.* & in Gemara ejusdem tractatus, 37. 2. quinque tantum recenseri videntur, qui Sacrum hujusmodi gradatum afferunt, sed hoc inde est quod quem nos quinto & sexto loco memoravimus, pro uno censeant, aut ita jungant על טומאת מקדש וקדשיו, qui tamen *capite 1. Kerituth. m. 1.* distinguuntur uti duo טמא שאכל את הקדש והבא לטמא טמא *immundus qui sacra comedit, & qui in Templum (id est, in atrium magnum) ingreditur.*

§. VI. Sacrificia quae comedebantur.

VI. Quaedam Sacrificia piacularia comedebantur a Sacerdotibus, quaedam comburebantur. Illorum, quae ex priori genere erant, sanguis 4 cornibus altaris exterioris adspergebatur a Sacerdote, altare a dextra circumeunte, *Zevachim. v. 3.* אֵימורים Deo dabantur in altare, & in focum quidem majorem, ubi adolebantur. Haec *ablegmina, interanea, vel adipes* appellari solent. In Codice sacro *Lev. 4: 8.* quinque res distinctae nomine *ablegminum* recensentur.

כל

1. כל חלב המכסה על הקרב, id est, omnis adeps tegens intestina.

2. Adeps qui est על הקרב.

3. Renes duo.

4. Adeps qui est על הכסלים,

5. יוהרת על חכבר על הכליות. Ἐπί-
πλοον, omentum supra jecur, juxta
renes.

יוהרת reddunt Judaei per טרפס,
τράπεζαν. Est τράπεζα, uti & ὄνυξ,
μάχαιρα, πύλαι, κάνεον, pars hepatis ita
dicta. Vide scholiasten Nicandri pag. 27.
& Rufum Ephesium de nominibus par-
tium corporis humani, cap. 28. Solebat au-
tem hepar, quum apponitur in cibis (uti
altare erat mensa Dei) involvi omento.
Athenaeus, lib. III. Δειπνοσοφ. cap. 25.
ἤπατα περιειλημμένα τῷ καλυμένῳ ἐπίπλω.
Philo, lib. de victimis, ad tria haec refert
1. adipem; 2. lobum hepatis. 3. renes duos,
τὸ σέαρ, λόβον ἤπατος, καὶ νεφρὸς δύο.
Josephus autem Antiq. III. 10. renes,
omentum, & omnem adipem cum lobo he-
patis, τὰς νεφρούς, καὶ τὸν ἐπίπλων καὶ πάν-
τα τὰ πιμελῆ σὺν τῷ λοβῷ τοῦ ἤπατος, ad-
dens, si agni sint victimae, caudam. No-
ta hunc quoque adipem triplicem, intesti-
norum, renum, & iliorum, esu interdictum

fuisse Judaeis *Lev. 7: 13.* Caro ipsa victimae comedebatur a Sacerdotibus *Lev. 6: 19.* intra vela, stante Tabernaculo, at in atrio magno, stante Templo, & quidem eo die, & nocte sequenti, non tamen integra, ut sapientes constituerunt, sed usque ad medium. Si vero ex avibus Sacrificium piaculare fieret, nil praeter sanguinem infra filum rubrum, סקרא, expressum, quod plerumque fiebat ad angulum notozephyrinum (*Zevachim. VI. 2.*) altari cedebat, caput non avellebatur: *Lev. 5: 8.* & vel gula vel arteria aspera secabatur: nam in maetatione quadrupedum & gula & arteria asperia שני סימנין perrumpebantur, sed in ave altera tantum, בהמה ניתרת בשני סימנין ועוף, ניתרת בסימן אחד. *Midras Coheleth. 109. 2.* Ipso corpore vescebantur Sacerdotes. *Zevachim VI. 4.*

§. VII.
Quae
combure-
bantur.

VII. Quae ex posteriori genere erant, non in altari ut holocausta, sed extra castra, in loco cineris, vel stante Templo, extra urbem, ἐν προαγοῖς, uti Josephus scribit, dissecta in partes, comburebantur. Haec erant omnia illa, quorum sanguis inferebatur in Aedem Sacram, ubi spargebatur coram velo & ad cornua altaris

ris interioris, at reliquum effundebatur ad basin altaris exterioris. *Levit. 4: 3. 12. Hebr. 13: 11.* ita tamen ut אֵימֹרִים eorum ex corpore extracta in altari exteriori adolerentur. Pellis ipsa non detrahebatur his victimis. *Lev. 1: 17.* & quum altare carnem non nancisceretur, etiam Sacerdotes jus in pellem non habebant. *Zevach. xii. 2.* Confer *Levit. 10: 16.* ubi Moses indignabatur hircum piacularem pro peccato populi combustum fuisse, quum comedendus fuisset: *Quare, inquit, non comedistis illum in loco Sancto? Nam sanguis ejus non est illatus in sanctuarium interius, id est, in Sanctum. Omnino comedendus fuisset in loco Sancto, quemadmodum praecepi.*

VIII. Inter illa quae Sacrificio piacul- § VIII.
lari propria sunt hoc est, quod quum in Distinctio
reliquis Sacrificiis nihil interesset, sive a persona-
Principe sive ab homine privato offerren- rum hoc
tur, sed idem omnium jus esset, in hoc Sacrificium
Sacrificio differentia esset inter personas offeren-
offerentes. Ita si Sacerdos unctus vel P. tium.
M. peccasset, juvencum dabat in Sacrifi-
cium piaculare, qui comburebatur extra
castra vel urbem, quum extra in altari essent
oblata. Ita quoque se res habet cum coe-

tu qui per imprudentiam erraverat. Si Princeps peccaverat vel iudex, hircum caprarum offerebat, cujus ablegminibus in altari adolitis ipse comedebatur. Si privatus peccaverat, facminam ovem vel capram debebat offerre.

§. IX. Rigor in hoc Sacrificio singularis.

IX. Magnus erat rigor, חומר, in offerendo Sacrificio piaculari, major quam in aliis Sanctissimis. Omne quod attigerat carnem victimae illius, יקדש *Levit. 6: 19.* quicquid sanguine ejus (antequam altari adpersus esset) inficiebatur erat pollutum: & vestimentum sanguine ejus infectum, lavari debuit in loco Sancto sive Atrio; vas testaceum in quo coctum fuit Sacrificium piaculare, in Atrio quoque confringi debuit, vas aeneum ibidem mundari & immergi. *Levit. 6: 20. Zevachim. 11. 4.* Huc spectat, quod in *Chagiga. 11. 7.* legitur בני קדש מדרם להטאת *vestes sacras esse instar strati ab homine fluxum passo conculcati respectu sacrificii piacularis.* Aberat quoque ἐνώδια (quae Sacrificio piaculari Christi *Eph. 5: 2.* adscribitur) nec oleum aut thus huic Sacrificio addebatur, nullum fertum, nulla libamina.

C A P.

CAP. I V.

De Sacrificiis pro delicto.

I. **S**UCCEDIT Sacrificium quod **זָבַח** He- §. I. No-
braeis, Graecis τῆς πλημμελείας, men.
(πλημμελεῖν Suidas reddit per αἰτακτεῖν,
ὑβρίζειν καὶ ῥαθυμεῖν. Glossae πλημμελέω,
delinquo) Latinis dici solet Sacrificium pro
reatu, vel delicto: quod nomen licet id
a Sacrificio pro peccato non ita videatur
distinguere, uti nomina Hebraea postu-
lant, quia tamen aptius aliquod non oc-
currit, & usu haec appellatio invaluit,
nos quoque Hieronymum & alios secuti
τὸ **זָבַח** *Sacrificium pro delicto* nuncupa-
bimus.

II. Mire se torserunt tum Judaei tum §. II. Sen-
Christiani in distinctione invenienda inter tentiae va-
Sacrificium pro delicto sive **זָבַח** & pia- riae de dif-
culare sive **חַטָּאת** vel potius inter culpas ferentia Sa-
ipsas, aut peccata quae hoc & quae illud crificiorum
Sacrificium postulabant. Quidam putant **חַטָּאת** &
חַטָּאת esse peccatum, quod se commi- **זָבַח** &
fisse certo aliquis novit, **זָבַח** de quo du- **זָבַח**.
bitat. Alii putant **זָבַח** esse culpam ta-
lem, quae non Deum modo sed & pro-
ximum

ximum laedebat, & hoc convenire tribus prioribus peccatis ex quinque mox recensendis existimant, duorum vero posteriorum hic nullam esse rationem habendam, quia non tantum Sacrificium **זָבַח** sed & **חַטָּאת** offerre debebant. Ita tamen illis in hoc argumento aqua haeret, ut nihil sibi, licet diu multumque de ea re cogitaverint, certi occurrere fateantur, quo cul-pae liquido internosci queant.

§. III. Difficultas in quo sita.

III. Difficultas maxime in peccatis tribus prioribus consistit, qua ratione illa a reliquis peccatis distinguantur, & peculiarem speciem constituent, ita ut singulari ritu Sacrificia pro iis offerri debuerint. Nam duo posteriora constat in eo convenire quod hominem reum faciant ob contractam immunditiam ex casu, quem evitare non erat in ejus potestate, uti si ad latus Naziraci homo moreretur, vel lepra quispiam infectus fuisset. Illa non satis apte videntur peccata **חַטָּאת** dici posse: quia tamen hominem reum constituebant, & peccata ejus meruerant, ut is casus ei eveniret, pro contracta immunditie **זָבַח** offerre debuit.

§. IV. Collatio S. S. Josephi & Philonis ad

IV. Tria igitur priora peccata qua in re a peccatis aliis distingui dicemus? Forte ex collatione Sacri Codicis, Josephi, ac Phi-

Philonis, quorum uterque ex genere Sa- eam tol-
cerdotali ortum traxit, lux aliqua his tene- lendam.
bris affulgebit. Pro his peccatis tribus a-
ries offerri debuit, uti Moses testatur.
Josephus autem *Antiq.* III. 10. ait arie-
tem fuisse oblatum ab homine qui pecca-
verat, ita ut sibi quidem conscius esset se
peccasse, sed a nullo alio redargui posset
aut criminis convinci, ὁ δὲ ἀμαρτῶν μὲν,
ἑαυτῷ δὲ συνειδῶς καὶ μηδένα ἔχων τὸν ἐ-
λέγχοντα κριὸν θύει. Philo quoque de
victimis agens scribit, *pag.* 844. si quis
arguente conscientia sua crimen commis-
sum confessus fuerit, eum Sacrificium pro
delicto obtulisse, εἰάν τις δόξας ἐκπεφευ-
γῆναι τὸν ἀπὸ τῶν κατηγοριῶν ἔλεγχον αὐ-
τὸς ἑαυτῷ γένηται κατήγορος ἕνδρον ὑπὸ τοῦ
συνειδότος ἐλεγχθεῖς. Unde suspicari licet
tria illa peccata clam sine teste commissa
fuisse, sic ut per alios testes non potue-
rint illum ejus criminis convincere. Hinc
culpa minor erat hujus, qui non per te-
stes, sed vim conscientiae, convictus cri-
men erat confessus. Nam & qui convin-
citur de rapina per alios solvebat duplum
Exod. 22:9. sed si ipse sponte fateatur,
non solvebat. *Levit.* VI: 2. Confer *Bava*
Kama. IX:8. Huc facit quod ob peccatum
idem

idem **שם** ob quod **הטאה** offerri debuerit, ita tamen ut Scriptor facer, quando ob id vult offerri **הטאה**, addat plerumque post indicatum peccatum ipsum, ut *Levit. 4: 28.* **או הודע אליו הטאתו**
Et si indicatum fuerit ipsi peccatum, quod commisit, offeret הטאה. Verum *Lev. 5: 17.* ubi idem peccatum describitur, dicitur, si hoc commiserit quispiam, afferet **שם**, nec additur, *si quispiam id ei indicaverit.* Hinc quoque videtur esse quod pro toto coetu si aberraverit, & peccatum id ei indicatum fuerit, offeratur **הטאה** non vero **שם**, quod publicum non fuit; quia nunquam in totum coetum cadit Sacrificium pro delicto dubio; aut pro certo, quod sine teste committi debuit. *Lev. 4: 14.* Confer *Lev. 4: 23.* & *Psalms. 69: 6.* **אשמותי** *delicta mea* (quae scilicet clam sine teste commisi) *tibi non sunt abscondita*, quamvis alios lateant.

§. V. Sacrificium pro delicto dubio.

V. Dividi solent illa in duas species, respectu causarum quae eorum oblationem requirunt. Harum prima est **שם הלוי** *Sacrificium pro delicto dubio*, *Levit. 5: 18.* si quis dubitet an illa commiserit peccata, quae si ex industria essent commissa excidio teneretur, si ex errore, Sacrificio pro

pro peccato fixo; quod quidem esse proprie dictum Sacrificium pro delicto plurimi contendunt, quodque Hebraei volunt obligare privatum quemlibet & Principem, non vero Pont. Max. aut Senatum, secundum *Lev. 4: 14.* qui non tenentur Sacrificare nisi ob peccatum notum. Tale Chasidaei quotidie offerebant & id **זָבַח חֲסִידִים** nuncupatur. *Kerituth. v 1: 3.* In *Gem. Hieros. Fevamoth. 5: 3.* culpa, ob quam Sacrificium pro delicto dubio offerri debet, ita illustratur. Si quis ex duabus portionibus, quarum una est adeps esu interdictus, id est, **הֶלֶב**, a carne separabilis, alteram comederit, nec scit comederitne cibum interdictum an licitum, teneretur offerre Sacrificium pro delicto dubio: vel si certo sciat se adipem, cibum interdictum, comedisse, at de quantitate dubitet, num tantum comederit, quantum olivae quantitatem aequat, offert **זָבַח חֲלָוִי** sive *Sacrificium pro delicto dubio.* Sed si una sit in mensa patina vel portio, & dubitet an sit cibum licitus vel illicitus, non tenetur ad Sacrificium. Scilicet, quandoque comedens potest eadem actione peccare & non peccare (uti in duobus prioribus exemplis) tenetur ad Sacrificium hoc:

hoc: sed quando non potest simul peccare & non peccare (ut in posteriori exemplo, ubi necessarium est ut vel peccet vel non peccet) non tenetur. Sic in *Gem. Hier. Beracoth. 2: 2.* legitur: qui die Veneris circa initium Sabbathi viderit tres stellas mediocris magnitudinis & operatus fuerit, tenetur offerre Sacrificium piaculare, **הטאת**, quia peccavit. Qui viderit unam, & operatus fuerit, liber est a Sacrificio. Qui viderit duas stellas & fuerit operatus, quia dubium est an sit dies vel nox, adeoque an peccaverit, nec ne, tenetur offerre Sacrificium pro delicto dubio. Sic quoque qui circa finem Sabbathi conspexit duabus stellis opus fecerit, tenetur ad hoc Sacrificium pro delicto dubio.

§. VI. Sacrificium pro delicto certo.

VI. Altera species **אשם ודאי** *Sacrificium pro delicto certo*, secundum doctrinam Hebraeorum privatum, Principem, & Pont. Max. obligat, non vero Senatum, quod secundum 5 casus, in Lege definitos & hoc ordine in *Massechet Zevachim c. 5. m. 5.* memoratos, quintuplex est.

1. **אשם גזילות**, ob rapinam. *Levit. 6: 2.*
2. **אשם מעילות**, ob res sacras inscienter

scienter in usum suum conversas,
Levit. 5: 15.

3. אשם שפחה חרופה, ob concubitum cum serva despecta Domino. *Lev. 19: 20.*

4. אשם נזיר, ob immunditiam contractam ex repentina cujusdam morte ad latus Naziraei. *Num. 6: 10.* Ex eo nihil unquam se comedisse, nisi semel quum ex *Daroma*, דרום, aliquis ad eum venisset, Simeon justus profitetur *Gem. Hier. Nazir. 51: 3.* Et de eodem ibidem legitur quod nec de Sacrificio piaculari unquam comederit לֹא אָכַל חַטָּאת מִיָּמָיו.

5. אשם מצורע, ob purgationem a lepra. *Lev. 14: 12.*

VII. Tria priora Sacrificia arietem §. VII. Animalia offerenda. (איל) requirunt offerendum, quartum & quintum agnum, כבש, sic ut nonnisi masculi huic Sacrificio inserviant (unde simul colligunt Judaei culpam אשם esse leviolem חַטָּאת קֵלָה) & oblatio caprae, de qua *Lev. 5: 6.* non in אשם proprie dictum sed חַטָּאת Sacrificium pro peccato cesserit:

Y

rit:

sit: nec turturum aut pullorum columbae substitutio locum hic habuerit. Arietis vel agni mactati sanguis adspargebatur e vase סביב, id est, duabus adspersionibus quae erant quatuor, שתי מתנות שהן ארבע, ut loquuntur Judaei, infra filum rubrum altaris. Ablegmina cremabantur in altari; reliqua, caro & pelles, pertinerunt ad Sacerdotes, qui ea comederant.

C A P. V.

De Sacrificiis salutaribus.

§. I. No. I. **Q**Uarta species Sacrificiorum est illorum quae שלמים Hebraeis, Graecis Σωτήρια, εἰρηνικά, χαριστήρια, Ευχαριστικά, Latinis *Pacifica* & *Salutaria* dicuntur. Sunt qui illa *Completo-ria* nuncupent, quia in oblatione plurimum Sacrificiorum hoc genus nunquam primo, sed contra ultimo offerri solebat, & inde putant שלמים esse appellata.

§. II. Sacri-
ficia Privata quae. II. Sacrificia salutaria in duas species dividi queunt, Privata & publica. Privata iterum sunt I. תודה *Confessionis*, τῆς εὐνοίας *Aquilae*, pro accepto beneficio sin-

singulari, quod proprie *εὐχαριστικὸν* erat. Hujus victimae carnes ab offerente & familia ejus comedebantur, ne quid remaneret in crastinum mane. *Levit. 7: 12.*

II. Votiva & quidem generalia, ad impetrandum beneficium aliquod, ex voto, *נדן*, ut si quis dixerit; sancte promitto me oblaturum Sacrificium salutare. Et

III. *נדבה*, Vota specialia, ut si quis dixerit; sancte promitto me hanc pecudem Deo oblaturum in Sacrificium salutare. Haec duo quoque comedebantur ab offerente & familia ejus, sed longius tempus iis concessum fuit. *Lev. 7: 16.*

III. Publica sunt vel necessaria vel voluntaria. Necessarium fuit Sacrificium, idque unicum, duorum agnorum masculorum die Pentecostes *Levit. 23: 19.* Sacerdotes ephemeriae ministrantis eos comedebant, exceptis tamen ablegminibus, quae in altari erant comburenda. Voluntaria sunt quae in solemnitatibus publicis oblata fuerunt, uti quum foedus inter Deum & Israëlem sanciretur. *Exod. 24: 5.* quum arca foederis Hierosolymas a Davide transferretur. *2 Sam. 6: 19.* & Templum dedicaretur. *1 Reg. 6: 3.* & in Paschate *2 Chr. 30: 31.* & *31. 7.* Judaei solent Sacrificia

haec salutaria quoque distinguere in 1. illa quae שלמים ἀπλῶς appellantur, & sine מצות placentis offeruntur, uti salutaria שמינה & שמחה, quae sunt שלמים בלא לחם *salutaria pane destituta*. Et 2. illa, quibus placentiae addebantur, הבאים עם הלחם ut Sacrificium confessionis & aries Naziraei. *Num. 6: 17.*

§. IV. Oblatio Sacrificii publici.

IV. Publicum erat quod pro toto populo offerebatur, sc. agni duo masculi in festo Pentecostes. Hoc accensetur Sanctissimis, ideoque victima ad septentrionem altaris mactari debuit, & ablegminibus altari exteriori impositis caro ipsa comedebatur a Sacerdotibus masculis in atrio. Agitabantur autem bis, tum ante tum post mactationem. *Menachot. v: 7.*

§. V. Oblatio privatorum.

V. Privata offerri poterant ex bubus, ovibus, capris, tam faeminis quam masculis *Lev. 3: 1.* modo sine foetu essent. *Lev. 22: 28.* Aves vero non licebat offerre. Victima mactabatur ad meridiem altaris, & nonnunquam ad ortum. Sanguis exceptus a Sacerdote spargebatur ad latera altaris infra filum rubrum, & reliquum ad basin effundebatur. Dein dissectae victimae ablegmina eadem scilicet, quae in Sacrificiis piacularibus (λωβὸς ἡπατος, σέαρ καὶ

καὶ νεφροί, lobus hepatis, adeps & renes, uti Philo lib. de victimis pag. 845. loquitur: σέαρ ἀφωρισμένον, ׀׀׀, ἀπὸ σωτηρίας solum memorat *Eccles. Siracid. cap. 47: 2.*) in patina collocata & una cum pectore & armo dextro manibus offerentis imposita agitabantur, & ablegmina quidem in altari exteriori comburebantur. Cetera dividebantur inter Sacerdotes & personas offerentes, ita ut Sacerdotes partes optimas nanciscerentur, sc. pectus rite agitandum, armum dextrum, rite elevandum, maxillas, & linguam & ἔνυστρον sive ventriculum: ex munere farinaceo autem placentam at rite elevatam: reliqua excepto pugillo, & thure altari sacro, tradebantur offerentibus. *Lev. 7: 14.*

VI. Carnes hae Sacerdotum coctae, §. VI. Comestio. quod non adeo sanctae essent ac carnes Sacrificiorum piacularium & pro delicto, a sacerdotibus puris, non tantum masculis, sed & faeminis, ipsisque servis & vernis emtis, comedebantur vel in atrio vel extra Templum in aedibus privatis, modo extra moenia Hierosolymae non efferrentur. *Lev. 22: 11. Deut. 12: 18.* Carnes autem, quae ad dominos pertinebant, in Templo coctae, vel in eo vel in urbe comedebantur

ab ipsis & domesticis eorum, & convivis, five Levitis, five aliis, at puris, habitatione carniū ne polluantur, & quidem eo ipso die vel sequenti. *Lev. 7: 17.* id est, per dies duos & noctem unam, uti Judaei loquuntur. His autem, si in atrio Templi carnes suas comedere vellent, etiam vinum modice bibere permissum erat, nequaquam vero sacerdotibus.

C A P. V I.

De Primogenitis animantium, Decimis eorundem, & agno Paschali.

§. I. De tri- I. **P**ostquam de quatuor summis generibus reliquis Sacrificiorum generibus. neribus Sacrificiorum egimus, ad reliqua tria transitum facimus, quae non recensentur in enumeratione praecipuorum Sacrificiorum *Lev. 7: 37, 38.* quaeque privata tantum erant, & a quibusdam annumerantur Sacrificiis salutaribus privatis, quia cum iis conveniunt in loco mactationis, combustione ablegminum, & personis comedentibus quae vel faciminae vel servi sunt, & tempore comestionis, excepto agno Paschali.

II.

II. Omnes primogenitos sibi sacros esse Deus jussit, sed alia ratione filios primogenitos, alia pecudes mundas, alia denique immundas. Voluntas haec Dei revelata extat *Exod.* 13: 2. *Num.* 3: 13. Et Lex quidem de primogenitis hominum & animalium immundorum Sacerdotes & Levitas non obligabat, *Num.* 3: 45. & 18. 15. sed de primogenitis pecudum mundarum, id est boum, ovium & caprarum, quas aequae offerre tenebantur ac reliqui Israëlitae. *Becoroib.* 11: 1. Nunc Templo destructo primogenita *pascunt donec labem contrahant*, ירעו עד שיסתאבו & tunc a dominis comeduntur.

III. E terra Israëlitica adduci debuerunt primogenita animantium: quod ex *Deut.* 14: 23. Judaei colligunt, ubi primogenita cum decimis frugum conjunguntur, quae non nisi e terra Israëlis adferri solebant. *Temura.* 111: 5. Quod si aliquis illa ex regionibus extra terram in terram Israëlis adduxisset, offerri debebant, si integra & legitima essent: si non, comedebantur cum vitiis, ac si ex terra Israëlis venissent.

IV. Hominum quidem primogeniti respectu matrum redimebantur die 30 aetatis

tis quinque siclis, quos sacerdos accipiebat. *Num.* 18: 16. quorum singuli argentei stante Templo II dicuntur aequasse pondus 384 granorum hordeaceorum. Excipiebantur, qui e tribu Levitica erant: illi enim omnes Deo sacri erant. Inter Ismaëlitas ἀπογόνους τῆ Ἰσμαήλ etiam hunc morem viginisse, οἱ ἀντιλαντεύουσι τοῖς εὐθυγενέσι βρέφεσιν ἄργυρον, καὶ τῆτον προκοσμίζουσι τῷ Θεῷ notat Theodoretus, *quaestione 38 in Leviticum.*

§. V. Primogeniti asinorum.

V. Primogenitus asini, animalis immundi ipse quoque redimi substituta ove (aut si ovis ad manum non sit, pretio ejus, quod *גלד* est) vel capite truncari *Ex.* 13: 13. & quidem *בְּקוֹפֵידֵי* *copide*, non alio instrumento, uti Judaei volunt, & dein sepeliri debuit, isque, si Judaeis credimus, solus; quia equi, cameli, aliaeve species animalium immundorum apud Israëlitas in Aegypto habitantes non erant. Quamvis *Num.* 18: 15. redemptionem animalis immundi ἀπλῶς Lex divina jusserit. Confer caput primum Codicis *Becoroth.*

§. VI. Primogenita animalium mundorum.

VI. At primogenita pecudum mundarum intra primum aetatis annum (sc. ab octavo aetatis die numerandum nisi cum vitio natum esset) adducta ad Sacerdotes in

in Templo ministrantes (vide *Nehem.* 10: 36. & *Gem. Hier. Challa.* 60: 2.) & Deo consecrata hac formula *זה קדש* *Sacrum hoc esto*, mactari in Atrio debuerunt, sanguis adspersi adspersione una ad basin, ablegmina Deo dari in altare & adoleri admixto sale, & caro reliqua sacerdotibus comedi per totam urbem Hierosolymitanam, quocunque modo in cibum praeparata, sive tosta, sive cocta, sive condita, secus ac cum agno Paschali fiebat, qui nonnisi assatus comedebatur. *Zevachim.* v. 8.

VII. Quod si primogenitum vitio affectum esset, sive ab ipsa nativitate sive postea labem contraxisset, mactari quidem non poterat, sed sacrum tamen erat, & dandum sacerdotibus, qui id comedere poterant ubicunque vellent, aut vendere aut Gentibus in cibum dare *Deut.* 15: 21. *Maaser scheni.* 1: 1, 2. Si labem contraxerat intra intra annum, usque ad finem ejus anni dominus id retinere potuit, & post annum nonnisi ultra triginta dies, *Becoroth* 1v.

VIII. Ceterum comedenda erant primogenita quae labem contraxerant, nec commercium iis exercere licebat, *אסור לסהור בהן*. Res quas emere aut vendere non terdicta.

non licet, octo recensent Judaei. Huarum quatuor priores a commercio excluduntur ob excellentiam suam, quatuor posteriores ob vilitatem. Sunt autem haec.

1. **הקדש וצדקה** *Sancta & elemosynae*: non licet ad lucrum percipiendum aliis ea mutuo dare, aut ex vasis nummisve sacris destinatis **לבדק הבית** *reparationi Templi* licet **גובר** *utilitatem capere.*
2. **בכור** *primogenita animantium*, quae ob vitium in Atrio maectari nequeunt.
3. **מעשר** *decima animantium*, si & haec vitio contracto inepta essent maectationi.
4. **פירות שביעית** *fructus anni Sabbathici*: sunt **לאכלה** *Lev. 25:6.*
5. **נבלות** *cadavera.*
6. **טרפה** *discerptum.*
7. **שקצים** *pisces immundi*, qui pinnas & squammas non habent, *Deut. 14: 9. 10.*
8. **רמשים** *reptilia.*

Vendere quidem nonnulla ex his licebat, sed

sed non ultra commercium exercere. Sic primogenita vitiata dabantur Sacerdoti, qui ea comedere poterat ubicunque locorum, aut vendere aliis. *Maaser Sche- ni. 1: 2.* Sic cadaver venditur. *Deut. 14: 21.* Ceterum quaedam ex hisce rebus octo mox recensitis sunt *usu quoque prohibita*, id est אסורים הנאה & quaedam *esu prohibita* sunt reptilia, pisces immundi, uti & omnia animalia immunda, sanguis, adeps חלב, &c. Usu prohibita sunt omnia quae sunt esu prohibita exceptis hisce septem, e quibus duo priora per Legem Dei prohibita, quinque reliqua per constitutiones Doctorum.

1. Cadaver.
2. Adeps.
3. Pisces immundi.
4. Reptilia.
5. Membra vivi animalis.
6. Nervus luxationis.
7. Sanguis.

IX. De vitiis autem primogenitorum, §.IX. Quis sive manifesta essent & in oculos omnium incurrerent, sive dubium esset forent ne de iis iudicaret. קבועות perduratura, an vero עוברות peri-

peritura brevi tempore, judicare nonnisi illorum hominum erat, quibus a Praeside Synedrii in terra Israëlitica (quod proprie בית דין appellatur) haec potestas data erat, quique ממחי בית דין dicuntur: quorum sapientia inde colligi potest, quod si in urbe aliqua sapiens non esset, qui quaestionem de votis נדרים motam decidere posset, tres idiotae viri pii id praestarent: sed de primogenitis non ita nisi vitium esset manifestissimum uti auris ablata, oculus effossus, &c. Vide, quae habet auctor libri Juchasin in vita sapientis אילא *Ila*, qui habitabat in urbe Jafne, & pro inspectione pecudis primogenitae tam perfectae quam vitiosae quatuor איסרות assarios accipiebat, si ex genere parvorum pecorum essent, si ex magnis, sex. De vitiis iis agitur in *Becoroth. cap. vi.* uti & de vitiis hominum *cap. vii.*

§. X. Decima ex animalibus, Deo Sacra.

X. Voluit Deus decimam pecudem ex bubus, ovibus & capris sibi sacrum esse, ita ut non seligeretur ab ipso domino, sed nulla habita ratione praestantiae illud animal quod decimo loco sub virga transiret, ei sacraretur. *Lev. 27: 32.* Quod si illud Sacrificio aptum erat sine impositione manuum mactabatur in Atrio, sanguis adspergebatur altari adspersione una, uti Primogeniti

mogeniti & agni Paschalis (*Zevachim. v. 8.*) excoriabatur, & ablegmina in altari offerebantur: caro ipsa a dominis offerentibus Hierosolymis comedebatur, uti decimae secundae: quod si temerata esset victima, etiam extra urbem comedi poterat. Debuerunt enim decima animantium comedi, qualiacunque essent, sive perfecta essent & viva, sive vitiata & viva, sive maetata; non vendi. *Maaser Scheni. 1: 2.*

XI. Hebraei ita describunt modum decimas pecudes legendi in *Becoroth. ix: 7.* Cogebantur omnes in caulam, cui erat exiguum ostium per quod non nisi una simul ovis vel capra transire posset. Tum exeuntes dominus virga instructus numerabat & quae decima egrediebatur, virga minio infecta notabat, dicebatque *הרי זה מעשר* hoc decimum sacrum esto. *Gem. Becoroth. 58: 2.* ad hunc morem respici *Fer. 33: 13.* transibunt pecudes *על ידי מונה* sub manu numerantis, multi putant: alii tamen existimant iis verbis indicari numerationem a villico praesente domino institutam, quum pecudes caulam ingrediuntur.

XII. Tria tempora sunt decimationi pecorum destinata, quae Hebraeis *גרנות* *Tempus. areae* appellantur, dies decimus quintus, ante

§. XI. Modus decimandi.

III X 2
Que deci
mandi
m

ante festum Paschatis, dies 15 ante Pentecosten, & dies 15 ante festum Tabernaculorum. *Becoroth. ix: 5.* Haec autem tempora constituerunt, ut pecudum copia esset in usum eorum qui ad solennia illa festa quotannis adscenderent: quia vendere aut mactare illas ante decimationem non solebant, (quamvis liceret: vide *Gem. Hier. Rosch hasschana. 56: 4.*) quia plerique malebant praeceptis Dei satisfacere, quamprimum tempus advenerat, maxime quum id sine damno fieri poterat: ipse enim dominus has decimas comedebat. *Gem. Becoroth. 58: 1.* Ceterum novilunium mensis Elul est initium anni pro decimandis pecudibus: sic ut ovis eo anno nata diceretur quae inter initium unius Elul & initium alterius nata esset. *Rosch hasschana. 1: 1.*

§. XIII. XIII. Nata debuerunt esse haec animalia decimanda eo anno in grege domini sui, non emta vel dono data, quae Legi decimarum non adstringuntur. *Becoroth. ix: 3.* & nisi 10 talia fuerint, non decimantur. Praeterea, quum Lex dicat non esse distinguendum inter bonum & malum, tradunt Hebraei omne genus pecudum aptum decimationi esse, licet ineptum

ptum sit Sacrificiis, uti destinatum cultui idolorum, hermaphroditum, &c. Exceptis tamen discerptis, morbo confectis, miscellis, orphanis, e latere materno excisis & מְחוּסְרֵי וְמוֹמֵי quorum tempus decimandi nondum advenit. *Becoroth* 1x: 4.

XIV. Ultimum ex septem Sacrificiis ante recensitis fiebat Agno, quem quotannis die decimo quarto mensis Nisan inter duas vespers sibi offerri Deus voluit. Appellatur autem hoc אֲגֵנִי *Num.* 9: 7. *ἄγνῖα* Josepho. Graeci dicunt, διαβατήρια θύειν, & πάσχα θύειν. *Marc.* 14: 12. Verum & θύειν usurpant Graeci etiam de iis quae proprie sacrificia dici nequeunt, uti Xenophon ἀναβασ. Κυρ. lib. I. τὰ Λύκαια ἔθυσσε, ad quae Aristides notat τῷ ὀνόματι τῆς ἑορτῆς ἕτω κέχρηται ὡς αὐτῷ τῷ θυομένῳ. Dicitur etiam ποιεῖν Πάσχα, *Matth.* 26: 18. Et quamvis ποιεῖν, uti & ῥέξαι, id est, ποιῆσαι (vide Suidam ad hanc vocem) & facere apud Romanos idem sit quod θύειν & sacrificare, quia tamen etiam de festis legitur ποιεῖν, uti ποιεῖν τὰ Ὀλύμπια apud Xenophontem lib. VII. 150p. hoc solo argumento non liqueret agnum Paschalem esse verum Sacrificium.

XV.

§. XV. A. XV. Ad hoc Sacrificium requirebatur
 gnus qualis **שה** *Pecus*, quae ex duabus speciebus **בן**
 esse de- **העזים** *ex agnis aut boedis*
 beat. eligi debuit *Exod. 12: 5.* eaque immacu-
 lata, sexus masculini, & **בן שנה** quae
 annum aetatis implevit. Agnus talis de-
 cimo mensis Nisan separari debuit a reli-
 quo grege & servari diligenter ab omni
 macula, *Exod. 12. 6.* quem in finem le-
 ctis suis agnos alligare consueverant. *Ke-*
lim. xix: 2. & hinc Clemens Alexandri-
 nus *σρωμάτων lib. 11. pag. 280.* Ἡ τῆ Πά-
σχα ἑορτὴ ἀπὸ δεκάτης ἤρχετο. Voluntque
 in *Pesachim 1x. 5.* illam separationem a
 decimo die spectasse singulari ratione ad
 Paschia Aegyptiacum, non ad Paschata de-
 incepta celebranda, **פסחי דורות** : &
 constat ex historiis posteriorum temporum
 agno non decimo die, sed biduo, triduo ve
 demum postea a dominis acceptos fuisse &
 sacrificio Paschali destinatos.

§. XVI. XVI. Agnus ille die decimo quarto
 Maclatio- mensis Nisan maclari debuit, *Exod. 12.6.*
 nis tempus, post peractum Sacrificium jure vesperti-
 inter duas num, sed ante adoliturum suffitum & accen-
 vesperas. sos lychnos, ut Judaei tradunt, in *Gem.*
Pesachim. 58: 1. **הנו רבנן תמיד קודם**
לפסח פסח קודם לקטורת קטורת
קודם

קודמת לנרות *Tradiderunt Rabbini. Sacrificium jure praecedit sacrificium agni Paschalis. Agnus Paschalis praecedit suffitum. Suffitus accensionem lychnorum. Comedebatur autem nocte sequente, quae partem faciebat diei decimi quinti, Exod. 12: 7. 8. Sacer codex tempus maectationis Exod. 12: 6. definivit, בין הערבים inter duas vespers: per quae verba Judaei Rabbanitae (Karai enim dissentiunt) intelligere solent maximam, & tantum non omnem, temporis postmeridiani partem, sic ut innuatur spatium diei omne quod ab hora sexta, id est, meridie protenditur usque ad solis occasum. Alii vero putant proprie innui tempus proximum occasui solis, quod alias ἀπλωσ ἔρα vespera appellatur, etiam quum de Paschate maectando agitur, uti Jos. 5: 10. dicitur בערב esse maectatum, quod Num. 9: 5. & alibi בין הערבים factum legitur. Ita quoque Exod. 16. 8. legitur, & commate 11 idem tempus בין הערבים appellatur. Sic ut existiment tempus vespertinum, id est, quod proxime antecedit occasum solis, proprie a Deo esse destinatum maectationi Paschatis; sed quum id spatium non sufficeret postea maectationi omnium agnorum*

Z rum

rum florente republica Judaica, potuisse, imo debuisse, partem magnam inclinati jam in postmeridianum tempus diei maectationi agnorum tribui. Huc facit quod in *Negaim. 11. 2.* legitur: *non lustrant plagas mane nec בין הערבים inter duas vespervas: Quando igitur? hora tertia, quarta, quinta, septima, octava & nona.* Ubi opponuntur mane & τὸ inter duas vespervas, uti tempora obscuriora & lustrationi non opportuna: & post nonam innuitur incepisse proprie τὸ בין הערבים. Ita & Josephus *lib. VII. 45. de bell. Jud. a nona ad undecimam, ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἐνδεκάτης* Pascha maectari consuevisse scribit: quo tempore etiam Christus, verus agnus Paschalis, exspiravit. *Matth. 27: 46. 50.*

§. XVII.
Ritus maectationis.

XVII. Maectatio peragebatur, interea dum Sacerdotes tubas inflarent, licet libamina hic nulla essent (vid. *Gem. Hier. Pesachim. 32. 3.*) & Levitae Hymnum canerent, sive *Psalms. 113-118.* in atrio ab Israëlitis, qui in tres catervas divisi per vices in atrium intromittebantur, ita ut Atrii fores mox clauderentur. *Eduioth. v. 6. Gem. Bera-coth. 19. 1.* Non enim tunc, ut alias, Israelitae victimas ad altare adducunt quas Sacerdotes maectant, sed quisque Sacerdotis vi-

ces

ces gerit & maectat, ἐν ἣ (ἐορτῇ) ἔχ' οἱ μὲν ἰδιῶται προσάγουσι τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύσει δ' οἱ ἱερεῖς, ἀλλὰ νόμος προσάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱεραῖται τῶν κατὰ μέρος ἐκάστη τὰς ὑπὲρ αὐτῆ θύσεως ἀνάγοντος τότε καὶ χειρουργήσας, uti Philo scribit *de vita Mo- sis*, pag. 686. Sacerdotes quidem seriatim constituti sanguinem ab uno ex societate suā exceptum vase כַּיִן de manu in manum transmittabant, donec sacerdos altari proximus eum ad basin altaris effunderet. *Pesachim*. v. 6. Excoriationi autem tot agnorum quum non sufficerent unci & columnae quae in atrio erant, dicuntur *baculos tenues* מַקְלוֹת דַּקִּים humeris suis sustinuisse, unde agnos suspensos excoriabant: dein fisco agni ventre educebantur ablegmina ejus, & patinae (פַּתִּינִים) imposita comburebantur in altari. *Exod.* 23: 18. *Gem. Pesachim*. 65. 2. Ex numero renum (qui inter ablegmina sunt) Rex Agrippas legitur edoctus fuisse numerum Israëlitarum. vide *Gem. Pesachim*. 64. 2. & *Echa rabati*. 62. 1.

XVIII. Agnum sibi redditum do- §. XVIII.
minus portabat ad locum destinatum co- Assatio &
mestioni. Debuit autem ille assari, non comestio.
coqui; וְאָסִיף אֹתוֹ igne assatum comedetis
Z 2 illud

illud *Ex. 12: 9.* quod *2 Chron. 35. 13.* dicitur
 וְכַבֵּשׁ בְּאֵשׁ. Confer *Gem. Nedarim. 49.*
1. Gem. Hier. Nazir. 55. 3. & Gem.
Hier. Eruvin. 20. 4. Dicunt autem Ju-
 daei veru ex ligno malogranati ori agni in-
 fixum ipsum totum penetrasse. *Pesachim.*
vii. 1. & suspensum eum fuisse in furno,
 ita tamen ut ignis in furno remaneret (de-
 buit enim ipso igne, וְכַבֵּשׁ, assari) & visce-
 ra ejus extra corpus agni in furno suspensa
 fuisse, ne si intra agnum mansissent spe-
 ciem elixationis haberent. Furni hi Pa-
 schales lateritii erant, formam habentes
 ollae sine fundo, foramine instructi יָד
 dicto (uti & Graeci ὀφθαλμὸν vocant
 foramen per quod remi triremium mitte-
 bantur) per quod ignis immitti solebat &
 cineres educi. אָדָם autem foramen erat
 in summo, per quod agnus Paschalis de-
 mittebatur in furnum, sic ut agnus ef-
 set in medio furni & ignis infra eum. vi-
 de *Schabbath. i. 11. Kelim. ix. 8 Eduioth.*
vii. 7. Taanith. iii. 8. Moëd katon. i.
9. Bava batbra. iv. 3. Ita vero assabatur
 agnus ut ligna agnum penetrantia formam
 crucis Christi repraesentaverint, quoniam
 lignum unum ab inferioribus agni parti-
 bus ad caput usque se extendebat, & aliud
 transf-

transversum armos ipsos sustineret, quod Justinus Martyr, Sichemis in terra Sancta natus & patre Samaritano, ipse rituum Judaïcorum gnarus, testatur *in dialogo cum Tryphone Judaeo*. Ossa autem confringi non debuerunt, & ipse agnus cum pane azymo & oleribus amaris comedi a domino & convivis ejus, quibuscum *societatem* quandam, חבורה, inivit, quique non infra decem nec supra viginti esse solebant. Hinc est quod Christus Judam חבר, ἑταῖρον, appellat *Matth.* 26. 15. quia in eadem societate cum eo agnum comederat, nisi forsan ad munus Apostolatus, quo eum promoverat, respiciat, quia erat חבר τῷ Ἰησοῦ. Nihil ex eo superstes manere debuit usque ad mane: sed eadem nocte comedi, nec ultra mediam noctem, uti sciunt Doctores. *Gem. Beracoth.* 9. 1. quod si tamen fuisset, igne comburendum erat; nec aliquid ex domo foras educendum.

C A P. VII.

De Fertis & Libaminibus.

§. I. No-
men.

I. **P**Raeter oblationes e pecudibus fieri solitas erant & oblationes e rebus inanimatis, simila, oleo, &c. quae *Ferta* appellantur, vel Sacrificia muneris, Hebraice מנחות a מנח donavit, & libamina. Nonnunquam vox נסכים & ferta & libamina simul notat, uti quum Praefectum Libaminibus dicimus, qui & ferta & libamina offerentibus suppeditabat. *Schekalim. v. 4.* Quum Judaei ferta ipsa, sive farinam, distinctam a libaminibus sive vino indicare volunt, nuncupant illa מנחות נסכים.

§. II. Ferta
Libami-
num no-
mine dicta
quae.

II. Fertorum alia erant נסכים *libamina* dicta, vel נסכים הבאים עם הזבה, uti appellantur in *Gem. Temura. i 14. 2.* vel הבאים עם הבהמה, uti in *Zevachim. iv. 3.* id est, quae sacrificiis quadrupedum junguntur, & quibus semper libamina ex vino juncta erant, quaeque quasi appendices addi solebant לעולות בהמה ושלמים, id est, holocaustis quadrupedum (non avium) & Sacrificiis salutaribus, non autem pia-

piacularibus & pro delicto, nisi solius lepro-
 si. *Menachoth.* ix. 6. Haec autem con-
 stabant e סלת simila triticea, oleo, sale
 & vino: & nihil horum sacerdoti, omnia
 altari cedebant. *Menachot.* vi. 2. Alia
 erant ferta נסכים הבאין בפני עצמן *Li-*
bamina dicta *per se*, sive *sola*, quae sepa-
 ratim offerebantur sine Sacrificiis quadru-
 pedum. Illa constabant ex simila triticea,
 &c. excepto manipulo זמר & ferta zelo-
 typiac, quae hordeacea erant; *Sota.* ii. i.
 ille quidem, quia hordeum tritico citius
 maturefcebat; hoc autem, quia quo pec-
 catum gravius erat, oblatio erat vilior,
 uti Judaei tradunt: & quia hordeum *vita*
damnavit quadrupedumque tradidit refecti-
bus, uti Plinius loquitur *lib.* xviii. 7. &
 κτηνοπρεπής est vita adulterae κτηνοπρεπές
 ἔδεσμα esse debuit ejus oblatio, uti & Cy-
 rillus in *Hos.* pag. 61. & Judaei observant.
 Omnis autem farina erat sine fermento in
 omnibus fertis, exceptis panibus Pente-
 costalibus *Lev.* 24: 17. & fermentato Sa-
 crificii salutaris *Levit.* 7: 13. *Amos* 4: 5.
 quorum proinde nihil altari inferebatur.
Levit. 2. 11. *Menachot.* v. 1. His ad-
 dunt nonnulli panes duos fermentatos,
 שני תודה dictos, qui quum locus esset

facrandus, aut amplianda urbs, ad finem loci sacrandi deferebantur, ita ut unus combureretur alter comederetur. vide *Nehem.* 12: 31.

§. III. Ferta sola :
quae Publica erant.

III. Secunda haec species Fertorum dividitur in *מנחת צבור* Fertum publico nomine oblatum, & *מנחת יהיד* Fertum hominis privati. Fertum publico nomine oblatum triplex est. I. *עטר* sive manipulus agitationis, constans hordeo, oleo & thure mixto, offerendus secundo die festi Paschalis, e quo pugillus exemptus adolebatur, ita tamen ut omne thus cum pugillo hordei simul adoleretur, quod erat *אשה* igne consumendum *Lev.* 23. reliqua a sacerdotibus comedebantur. II. Panes duo ex tritico offerendi in festo Pentecostes & a sacerdotibus comedendi, dicti vulgo *שתי הלחם*. III. Panes propositionis, quos sacerdotes quoque singulis sabbathis comedebant. Tribus his fertis non nisi Sacerdotes mundi vescerentur. *Pesachim.* VII. 4. Quinque enim haec 1. manipulus Paschalis. 2. Panes duo Pentecostales. 3. Panes propositionis. 4. Salutaria publica. & 5. hirci noviluniorum non nisi a mundis edi debuerunt, uti Judaei notant. Nec unquam aliquid *פסול* pollutum in his fer-

fertis repertum fuisse traditur in *Pirke a-*
voth. v. 5.

IV. Ferta privata sunt vel a Deo ius- §. IV. **Et**
sa, vel ex voto offerenda. A Deo iussa ^{privata.}

sunt quatuor. I. **כִּנְחַת הַזֹּטָה** *fertum*
peccatoris, qui sc. unius ex 4. peccatis re-
censitis *Levit. 5: 1-4.* reus est, idemque
pauperior, quam ut hostiam solvere posset.

II. **מִנְחַת סוּטָא** vel **קִנְאוֹת** *fertum mu-*
lieris declinantis, aut *zelotypiae. Num. 5:*

15. 26. III. **מִנְחַת הַיְנוּךְ** *fertum initia-*
tionis sc. sacerdotis gregarii, offerendum
eo die quo primum munus suum aggrede-
retur. *Lev 6: 20.* cum Sacrificio jugi.

IV. **מִנְחַת הַבֵּיתִין**, *fertum crustulorum*
Pont. Max. quod mane & vesperi offere-
bat. *Τήγανον τῆς μεγάλης ἱερέως. 1 Chron. 9:*

31. Ferta **בִּנְדָר וּבִנְדָבָה** ex voto offe-
renda sunt quinque. 1. **מִנְחַת הַסֶּלֶת**

fertum similiae, constans e simila oleo sub-
acta. *Levit. 2: 1.* 2. **מִנְחַת מֵאֵפָה תְּנוּרָה**,

fertum in clibano coctum, constans e pla-
centis. 3. **מִנְחַת מֵאֵפָה רְקִיקִין** *fertum*

laganorum coctorum Lev. 2. 4. & uncto-
rum oleo. Sunt **רְקִיקִין** tenuia, sed **חֲלוֹת**

crassa. 4. **מִנְחַת עַל הַמַּחְבֵּת** *fertum in*
patina frictum, aut vase plano sine mar-
gine, ita ut quod in eo paratur durum sit

& consistens. 5. מנחת על המרחשת. *fertum in abeno* paratum, quod vas profundum est, & quod in eo coquitur tenue & fluidum est. *Menachot. v. 8.* Novem hae fertorum species eodem ritu offerebantur, sic ut quum pugillus inde exemptus in altari combureretur, reliquiae eorum a Sacerdotibus comederentur, quae מנחות ישראל *reliquiae fertorum Israëlis* nuncupantur. Excipiuntur ferta sacerdotum masculorum, quae tota ignis sibi vindicabat *Lev. 6: 23.* qualia sunt ferta initiationis Sacerdotalis & crustula Pontif. Maximi, quae similia erant fertis quae נסכים sive Libamina appellantur, juncta scilicet Sacrificiis. Solebant autem singulis vespers haec inter se dividere ברמשא יהוון כהניא מפלגין קורבניא דבני ישראל uti legitur in Targum Hierosolymitano *Gen. 49: 27.* Pugillatio, dicta קמיצה, ita fiebat a sacerdote, ut tribus mediis digitis ad volam manus incurvatis farinam acciperet, & pollice ac minimo digito superfluum abraderet.

§. V. Fertorum
quantitas.

V. Fertata privata nunquam excedebant 60 decimas. *Menachot. XIII. I. & XII. 4.* quia publica non erant plura quam 61, scilicet die primo festi tabernaculorum,

si

si in Sabbatum incideret, nempe decimae tres pro quolibet iuvenco, secundum hanc tabellam.

13	Juveni	decimae	39
14	Agni		14
2	Arietes		2
2	Agni Tamid		4
2	Agni Sabbathi		2
			61

Aequum vero erat privatum fertum esse publico minus. Nunquam autem fertum erat minus una decima.

VI. Quaedam ex iis agitari debebant, uti fertum pro delicto leprosi, & panes Pentecostales, quaedam adduci ad cornu altaris notozephyrinum & non agitari, uti ferta quinque privata ex voto, & ferta sacerdotum. Fertum Zelotypiae & manipulus Paschalis agitabantur & adducebantur. Fertum libaminum & panes propositionis nec agitationem, nec adductionem requirebant, quae ex hac tabella melius intelligentur. Confer *Menachot. v. 5.*

§. VI. Fertorum adductio & agitatio.

Debuerunt

Fertum Libaminum. Nec agitari nec adduci.
Manipulus

Manipulus Paschalis.	Agitari & adduci.
Panes Pentecostales.	Agitari, non adduci.
Panes propositionis.	Nec agitari nec adduci.
Fertum peccatoris.	Adduci, non agitari.
Fertum zelotypiae.	Agitari & adduci.
Fertum initiationis.	Adduci, non agitari.
Fertum crustulorum P. M.	Adduci, non agitari.
Quinque ferta spontanea.	Adduci, non agitari.
Log olei Leprosi, & pro delicto ejus.	Agitari non adduci.

§. VII. VII. Quibusdam fertis addebatur oleum
Oleum & thus, ita ut ex hac tabella videri po-
tius. *Menachot. v. 3.*

	Requirebant
Oleum & thus.	{ Ferta quinque privata sc. <i>fertum similiae</i> & 4 consequentia, fer- tum Sacerdotum & Pontificis Maximi, fertum Gentium & mulierum, & ma- nipulus Paschalis. Oleum,

Oleum, non thus.

{ Ferta libaminum,

מנחות נסכים

Thus, non oleum.

{ Panes propositionis

Nec oleum, nec thus.

{ Panes duo Pente-
costales, fertum
peccatoris & Ze-
lotypiae.

Sola lagana sive רקיקין ungebantur oleo, ad formam Graeci X, ut quidam volunt, quum reliquis, quae oleum requirebant, oleum immisceretur.

VIII. Tradunt Judaei in praeparatione fertorum quae parantur in vase requiri tres מתנות השמן *effusiones olei*. I. Oleum inditur vasi ministerii sive sacro, tum oleo additur simila. II. Oleum superfunditur & miscetur simila. Haec actio est בלילה. Tum sequitur לישה *subactio* deinde coctio. Post comminutio in frustra, dicta פתיתה. vid. *Levit. 2: 6.* & *Menachoth. vi. 4.* III. Oleum tertio affunditur. Haec est יציקה. Denique pugillus eximitur & adoletur: reliquum comeditur a Sacerdotibus. Ceterum רקיקין *Lagana* oleo unguebantur,

§. VIII.
Modus af-
fusionis
olei, &
unctionis.

tur (erant משוחים non בלולים) & reliquum oleum quod a laganis non imbibebatur, effundi debuit super ignem. Huc facit dictum R. Simeonis; si videris oleum quod partiuntur inter se Sacerdotes in atrio, ne quaere quid sit: est enim Log olei leprosi vel *reliquiae laganorum ex fertis Israël* מותר רקיקי מנחות ישראל, quae ungebantur & reliquum comedebant Sacerdotes. Si videris oleum effundi super ignem ne quaere quid sit: est enim reliquum ex laganis fertorum Sacerdotum, מנחת כהן vel רקיקי מנחות כוהנים משיח ferti Sacerdotis uncti. *Menachot. xii. 5. & vi. 3. Zevachim. x. 8.*

§.IX. Mensurae fertorum & libaminum diversae.

IX. Quatuor erant mensurae diversae fertorum ac libaminum, quae tesseriis 4, quarum usus in Templo erat, fuere distinctae. *Schekalim. v. 3.* Primae tesserae inscripta erat vox גדי *hircus*, sacrificia omnia notans ex genere caprino & parva generis ovini. Illa requirebat decimam Ephae similae & quartam partem Hin olei & 4 partem Hin vini. Alteri tesserae inscriptum erat זכר *masculus*, sc. aries, sacrificia notans ex genere ovium majora, & requirebat duas decimas similae cum tertia parte Hin olei & pari quantitate vini. Tertiae tesserae inscriptio

scriptio erat *חַי* vitulus, sacrificia notans ex genere boum. Ad hanc requirebantur tres decimae similae & dimidium Hin olei ac par quantitas vini. Quarta tessera erat *נְזִיב* peccatoris, sc. leprosi divitis, qui tres decimas similae oleo mixtas offerebat, & Log olei. Si pauper esset, offerebat cum agno decimam similae. Hinc videmus libamina agnorum & caprarum, sive holocausta sive Sacra salutaria fuerint, fuisse trium Logorum, arietum quatuor, boum sex: 12 logi autem faciunt unum Hin. Excipiebatur tamen a communi regula agnus die primo Paschatis sive 15 Nisan, in holocaustum Deo offerendus cum manipulo hordeaceo: ei enim addebantur 2. decimae similae, quum alias una decima sufficeret tertia pars Hin olei & quarta pars Hin vini.

X. Quod ut distinctius intelligatur, §. X. Trademus hoc loco tabellam mensurarum sacrarum, quibus in fertis dimetiendis & aliis rebus utebantur, ad quantitatem ovorum gallinaceorum a Judaeis redactas. L praefixum notat mensuras Liquidorum, A, Aridorum.

Liq.

Liq. רביעית *Quartarius*, sive quarta pars Logi, continet ova $1\frac{1}{2}$

Haec erat mensura poculi Paschalis, nec licebat Sacerdoti sacris operaturo plus vini bibere.

{ L. לוג.	6
{ A. רובע. <i>Quadrans</i> , sive quarta pars Cabi.	6
A. קב. <i>Cabus</i> .	24
A. עומר. <i>Omer</i> .	$43\frac{1}{5}$
L. הין. <i>Hin</i> .	72
A. סאה. <i>Satum</i> .	144
{ L. בת. <i>Bathus</i> .	432
{ A. אֵיפָה. <i>Epha</i> .	432
A. כור. <i>Corus</i> .	4320
Ejus dimidium in aridis quoque	לֶחֶךְ
dicitur.	

Atque ita liquet decimam partem Ephae aequalem esse quantitati ovorum 43 & quintae parti ovi, quam mensuram Josephus vocat ἀσσάρωνα, עשרון, Moses עומר *Exod.* 16: 36. & tertiam partem Hin esse 4 Logos seu 24 ova, quartam partem Hin, 3 Logos, sive 18 ova, atque ita porro.

§. XI. Libamen vini.

XI. Vinum quum libaretur, id על גביה in summo altari fiebat, in alterum

ex

ex duobus simpulis ad angulum altaris notozephyrinum constitutis. *Eduioth. VI: 1. Succa. IV: 7.* ita quidem ut inde versus inferiora altaris, לַשִּׁתִּין, descenderet: & hoc modo videntur debere intelligi qui scribunt vinum effusum fuisse in fundamentum altaris, uti in *Ecclesiast. Siracid. 50: 18.* legitur ἐξέχεεν εἰς θεμέλια θυσιαστηρίῃς ὄσμην ἐνωδίας. Scilicet angulus altaris notozephyrinus tribus rebus inservit parte sui superiore, 1. Libamini aquae. 2. Libamini vini. 3. Holocaustis avium; si ab ortu altaris spatium non esset. Parte autem sui inferiore tribus his rebus inservit. 1. Sacrificiis piacularibus avium. 2. Adductioni fertorum. 3. Excipiendis reliquiis sanguinis. Vide *Zevachim. v1: 2.*

C A P. VIII.

De Primitivis & Primitiis.

I. **Q**Uae Hebraei בכורים appellabant, §. I. Primitiva quae. vulgo *Primitiva* dicimus, ad distinctionem תרבות תרבות, sive *Primitiarum*, de quibus postea agetur: quamvis non desint inter Christianos qui nullam

A a

inter

inter haec duo distinctionem agnoscant; quum tamen & ex ipso Sacro Codice *Num.* 18: 12. & 13. & *Nehem.* 10: 35. ubi de **ביכורים** sive *Primitivis* agitur & commate 37, ubi de Primitiis, uti & ex traditionibus Judaeorum appareat ea fuisse diversissima. Graecis *πρωτογεννήματα* appellantur *Num.* 18: 13. *I Macc.* 3: 50. at *Primitiae ἀπαρχαὶ τῶν γεννημάτων. Tob.* 1: 6.

§. II. Quando & unde afferenda.

II. Lex de afferendis Primitivis non obligabat Judaeos, (ita ipsi contendunt) nisi stante Templo vel Tabernaculo Schilunte constructo, quia Deus ea ad **בית** *Aedem Sacram* afferri iussit. *Ex.* 23: 19. *Deut.* 26: 2. *Nehem.* 10: 35. *Schekalim.* VIIII: 8. Atqui aedes Schiluntica **בית** appellatur. *I Sam.* 1: 24. Verum ego quidem existimarem Primitiva deferenda fuisse ad Tabernaculum, ubicunque locorum esset, non ad solum Schilunticum. Fuit enim revera **בית**, quamvis hoc nomen in emphasi sua Templo magis conveniat: nam Deus *2 Sam.* 7. 6. negat se ab exitu ex Aegypto usque ad tempora Salomonis habitasse in **בית**. Atque ita nec Tabernaculum Schilunticum **בית** fuit, aut certe Tabernaculum alibi fixum, aequae ac Schilunte, **בית** dici poterit. Eaque ex terra Canaan afferri debuerunt, cui

cui accensentur regiones Sichonis & Ogi, ac Syria a Davide subjugata. Aegyptus autem, Babylonia, Ammonitis & Moabitibus, terrae Israëlitis propinquae, ad Decimas & Primitias tenebantur, secundum traditiones Judaeorum, neutiquam vero ad Primitiva.

III. Ex septem rerum generibus Primitiva adducebantur, tritico, hordeo, uvis, ficibus, malogranatis, olivis & dactylis: non ex aliis, si Judaeis credimus: *Biccurim. 1: 2. Gem. Beracoth 35: 1.* quia hae species tantum recensentur *Deut. 8: 8.* & in Pentateucho aliorum fructuum illius terrae non fit mentio. Deus autem jusserat ex omni fructu terrae illa adferri. *Deut. 26: 2.* Atque ita etiam *Nehem. 10: 35.* legimus eos attulisse **בִּכּוּרֵי אֲדָמָתָנוּ** *primitiva terrae suae & primitiva omnium fructuum arborum ad Templum.* Debuerunt haec omnia esse optima & selecta. Quod si viae longinquitas non pateretur ea recentia adduci, uti uvas aut ficus, siccatas eas aut passas afferebant. Si autem hae 7 species uni corbi essent imponendae, infimum erat hordeum, supra id triticum, dein olivae, dactyli, malogranata, ficus, & circa illas vel supra uvae.

§. III. Species eorum septem.

§. IV. Primitivorum
quantitas.

IV. Lex divina non definivit quae
quantitas in Primitiva adduci debuerit,
uti in Decimis, sic ut quispiam omnem
agri proventum in Primitiva consecrare
possit: *Biccurim. 11: 4.* At si quis totius
agri proventum in תרומות sive *primitias*
sacrare voluisset, non licebat, quia scri-
ptum est non omne ראשית sed aliquid
de eo, מראשית, esse dandum. *Gem. Hier.*
Pea. 15: 1. Gem. Hier. Terumoth. 42: 4.
Recensentur scilicet primitiva inter sex
res, quibus in Lege Dei nulla mensura
est statuta. Vid. *Pea. 1: 1.* Sunt autem hae

1. פאה, angulus agri demessi pau-
peribus reliquendus.
2. Primitiva.
3. Sacrificia praesentiae, ראיה, in
festis.
4. Sacrificia solennitatis, חגיגה.
5. Officia pia, גמילות חסידים,
sc. mortuos sepelire, aegrotos vi-
sitare: quod corpore praestatur: sed
si nummis alios juvet, quinta pars
bonorum est mensura, quam non
transgrediuntur: erant enim Je-
schubab & alii qui omnia bona sua
erogabant in pauperes. Sapientes
itaque

itaque in Usha constituerunt, ne quis ultra quintam bonorum partem daret.

6. Studium Legis. *Jos.* 1: 8.

Addunt in *Gemara Hierosol. Pea.* 16: 1.

7. עפר סוטה, pulverem mixtum aquis Sotae.

8. רוק יבמה, sputum fratriae a le- viro repudiatae.

9. אפר פרה, cinerem vaccae rufae.

10. דם צפור של כצורע, sanguinem avis leprosi.

Sed ex decreto sapientum unum de 60 dari debet, אחד משישים *Gem. Hier. Biccurim.* 65: 3. cujus numeri memoriale est in voce טנא, *canistrum.*

V. Non ante Pentecosten licuisse ea §. V. Tempore Hierosolymas afferre colligunt Judaei ex pus.

Exod. 23: 16. *Levit.* 23: 16, 17. nec post festum Encoeniorum, 25 diem mensis Cisleu; quia viles illi fructus erant, qui post hoc tempus maturescebant. *Biccurim.*

1 6. *Challa.* IV: 10.

VI. Nonnunquam dominus fructus §. VI. Mox primos ante maturitatem in ipsa arbore notabat & destinabat primitivis. *Biccurim.* 111: parandi & offerendi. I. aliquando ex fructibus decerptis & si-

mul collectis primitiva separabat, ita tamen ut separatio primitivorum praecedat primitias & decimas. *Terumoth. 111: 7.* Dein vel ipse, vel alius ejus nomine, ea imposita canistro (cui turtures plerumque vel pulli columbarum appensi erant) afferebat ad Atrium (quod maxima pompa fieri solebat, uti videre est *Biccurim. 111: 2.*) & tradebat, recitata confessione (*Deut. 26: 3-10.*) Sacerdotibus ephemeriae ministrantis, qui ea inter se dividebant & Hierosolymis comedebant, ipsi & uxores & servi & pecora, dum dominus ipse Hierosolymis pernoctabat. Est enim hoc quoque unum e 7 requisitis Primitivorum, quae hoc ordine Judaei recensent. 1. Requiritur eorum adductio Hierosolymas, quam Primitiae & decimae non requirebant. 2. Vasi debent indi, quod si metallicum esset sacerdotes domino reddebant, si junceum, servabant. 3. Confessio הַגִּדָה super iis recitanda est; a qua tamen liberae sunt mulieres, tutores, servi. *Biccurim. 1: 5.* quaeque tantum recitabatur inter Pentecosten & festum Tabernaculorum. Quae postea afferebantur, confessione carebant. *Biccurim. 1: 6.* 4. Sacrificium requiritur: id colligunt ex *Deut.*

16: 14. 5. Canticum, quod Levitae canebant. *Psal.* 30: 2. 6. Agitatio & collocatio eorum ad angulum altaris notoze-
 phyrinum. Vid. *Gem. Hier. Bicurim.* 65: 4. Contra stare videtur *Misna Menachot.* v: 6. 7. Pernoctatio dominorum in urbe. *Deut.* 16: 2. *Bicurim.* 11: 2, 3, 4.

VII. Primitias nuncupamus, quas Hebraei תרומת כהנים dicunt & תרומות *Nehem.* 13: 5. (licet Primitiva *Deut.* 12: 17. dici תרומות fateantur) Graeci ἀφαιρέματα & ἀπαρχὰς τῶν γεννημάτων, vel πρωτογεννημάτων *Eccles. Sirac.* 46: 28. (quae una cum πρωτοκρίαις, primitiis lanae detonsae, Tobias sacerdotibus dare solebat, *Tob.* 1: 6.) alii delibationes, ablationes, vel oblationes primas. Hoc nomine intelligimus dona, quae Israëlitae sacerdotibus dabant e fructibus terrae Israëliticae (e vicinis quatuor, Babylonia, Aegypto, Ammonitide & Moabitide uti & e Syria dabantur, sed eas inferre in terram Israëliticam non licuit. *Schevüth.* vi: 6.) jam ad usum humanum praeparatis, פריורת qua ratione a בכורים sive Primitivis distinguuntur, quae constant ex fructibus non elaboratis, *Deut.* 18: 4. Appellatur hoc ipsum תרומה גדולה *Ab-*

§. VII.
 Primitia-
 rum no-
 men & di-
 stinctio a
 Primitivis.

latio magna, ἀφορισμὸς μέγας, & sequitur illa separationem Primitivorum. *Terumoth. iii: 7. Gem. Betza. 13: 2.*

§. VIII.
Quantitas
Primitia-
rum.

VIII. Quantitas non erat a Deo definita: verum Judaei tradunt vulgo unum ex 50 pro Primitiis datum fuisse: si liberalis quispiam esset, unum ex 40 dabat; (ita Hilleliani statuunt) vel secundum Schammaeanos, 30: quo refertur *Ezech. 45: 13*. si avarus, unum ex 60. Ipsam vocem תְּרוּמָה volunt innuere תְּרֵי מֵמָתָה duo de centum: & hujus traditionis Judaeorum meminit Hieronymus ad *Ezech. 45. p. 1040*. qui tamen has תְּרוּמֹת appellat *Primitiva*, quae nunc vulgo, ut a בכורים distinguantur, *Primitias* nuncupamus.

§. IX. Cui
dandae.

IX. Dabantur haec Sacerdoti, cuicumque dominus vellet. In *Nehemiae cap. 10: 37*. Primitiae leguntur datae fuisse sacerdotibus in Templo ministrantibus & delatae ad conclavia domus Dei (confer *Nehem. 13: 5*.) quod eo tempore factum fuisse videtur ut major frequentia Sacerdotum ad Templum conflueret. Simile quid & eodem scopo videtur factum 2 *Chron. 31: 4*. In Apocrypho libro Judith legitur quoque ἀπαρχὰς τῆς σίτης, scilicet has primitias, destinatas fuisse Sacerdotibus

dotibus ministrantibus Hierosolymis.

X. Comedi debuerunt in terra Sancta a Sacerdotibus mundis, *Num.* 18. 11. *Terumoth.* ix: 3. Nec illi tantum tam adulti quam impuberes, sed & uxores, liberi, servi eorum & pecudes (*Terumoth.* xi: 9.) ad harum Primitiarum comestionem admittebantur. Scilicet Primitiae erant intermediae sanctitatis inter decimas & קדש, cibos sacros. Decimae, חולין sive *res profanae* appellantur respectu primitiarum: & primitiae respectu קדש, sive ciborum sacrorum quasi profanae censentur. Ita homo leprosus die septimo rasus, & corpore ac vestibus lotus, mundus est nec alios polluit, & טבול יום existens edit illo die de decimis. Postquam sol ejus diei occidit, edit de primitiis. Denique quum obtulit Sacrificium suum, admittitur ad קדש sive edendos cibos sacros. *Chagiga.* 111: 3. *Kelim.* 1: 5. Ceterum filiae Sacerdotis nuptae Israëlitae non licebat comedere de primitiis. *Fevamoth.* ix: 6. nec servis ejus. *Ibid.* vii: 2. sed filia Israëlitae nupta sacerdoti comedit de primitiis. *Ibid.* ix: 5. etiam servi ejus. *Ibid.* vii: 2. sed mortuo marito non. *Gittin.* 111: 4. Praeterea in *Sota.* 1: 3. recensentur quinque uxores Sa-

§. X. Quo-
modo co-
meden-
dae.

cerdotum quae, etiamsi filiae essent Sacerdotum, prohibentur in perpetuum edere primitias. Non licebat autem ex dactylis mel, e pomis vinum, acetum ex uvis hyemalibus conficere, vel ullos fructus coctione vel mixtione ita permutare ut aliam naturam induant, & ex cibo convertantur in liquores, exceptis folis olivis & uvis, e quibus vinum & oleum parare licitum erat. *Num.* 18: 12. *Terumoth.* xi: 3. *Scheviith.* viii: 4.

C A P. I X.

De Decimis.

§. I. Deci- I.
marum
nomina &
species 4.

A Blatis Primitiis reliquum acervum fructuum lustrabat dominus, & decimam partem inde decerptam Levitis dabat quibus vellet. *Num.* 18: 21. Haec מעשר *Decimae*, & מעשר ראשון sive δεκάτη πρώτη *Decimae primae* nuncupabatur, respectu decimarum secundarum quas ipsi domini comedebant. Ex his decimis primis Levitae decimam partem pendebant sacerdotibus, quae תרומת מעשר sive מעשר מן המעשר *Ablatio decimarum* vel *Decimae e decimis*, dicebantur. Tum do-

dominus ex reliqua massa alias decimas separare debebat easque Hierosolymis comedere, quae sunt *מעשר שני* *Decimae secundae*. Hae quum anno tertio & sexto ab anno Sabbathico non comederentur Hierosolymis, pauperibus eorum loco dari solebant, dictae *מעשר עני* *Decimae pauperum*. Sic ut quatuor hinc nascantur species decimarum. 1. *Decimae primae*. 2. *Decimae e decimis*. 3. *Decimae secundae*. 4. *Decimae pauperum*.

II. Singulis annis, excepto anno Sabbathico *Decimae primae* solvebantur de omni proventu terrae, scilicet Israeliticae, & 4 regionum vicinarum, Babyloniae, Aegypti, Ammon & Moab, secundum scilicet constitutiones Doctorum: alias enim *הוצה לארץ* extra terram *נפטרו מן המעשרות* *liberi sunt a decimis*. *Echa Rabbati*. 57: 3. *Midrasch Ruth*. 47: 4. Proventum intellige qui in eam cedit & custoditur *Maaseroth*. 1: 1. etiam filiquis, oryza, cumino, ex institutis scribarum. *Demai*. 11: 1. *Matth*. 23: 23. De tribus fructibus praecipuis nuncupantur *Nehem*. 13: 5, 12. decimae frumenti, musti, & olei.

III. Levitis dabantur *Num*. 18. 21. *Nehem*. 13: 5, 10. qui eas comedebant nec tantum sed & uxores eorum ac liberi. *Tobias*

§. II. *Decimae primae, quae,*

§. III. *Quibus dandae.*

bias scribit *cap. i. 7.* *σε πρώτην δεκάτην* dedisse sacerdotibus *τοῖς υἱοῖς Ἀαρὼν τοῖς θεραπεύουσιν ἐν Ἱερουσαλήμ.* Quod non convenit cum prima Dei institutione, qua Levitis decimae primae assignatae sunt. Sed in Hebraeo libro Tobiae dicitur, *מעשרות* decimas & primogenita (animantium, ut videtur) ad sacerdotes detulisse, & frumentum, vinum &c. ad Levitas, ac decimas secundas tertiasque dedisse peregrinis & pupillis. Quia autem hae decimae *חולין*, non sanctae, habebantur, negligentiores fuere in his solvendis Judaei, & licet primitias, *תרומות*, studiose solverent, quarum neglectus poenam *כרת*, sive Excidii, mereretur, vendebant saepe fruges non decimatas pro decimatis. *Gen. Hier. Maaser Scheni. 56.*

§. IV. Illustratur
Hebr. 7:5.

IV. Quaeri hoc loco potest de sensu verborum Pauli *Hebr. 7:5.* *Οἱ ἐκ τῶν υἱῶν* *Λευι τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες* *mandatum habent accipiendarum decimarum a populo.* Ubi non Levitis sed sacerdotibus decimae videntur tribui. Dici posset respici hic ad decimas, quas Levitae dabant Sacerdotibus, ita ut populus Sacerdotibus per Levitas decimas solveret, quemadmodum Deus ipse primitias accipere dicitur, quae

quae Sacerdotibus dabantur, in *Gem. Sanhedrin. 39: 1.* At videtur potius hic agi de Levitis ipsis, sic ut illi qui *Ferem. 33: 21.* appellantur הלויים הכהנים hic nuncupentur illi qui ex filiis Levi sunt, id est Levitae quorum tribui jura Sacerdotii concessa sunt, sive τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες, illi jus habent ad decimas. Nam commate 14 tribui Leviticae Sacerdotium a Mose tributum memorat, & commate 9 Levi scribit decimas accipere. Ita in Targum Hieros. *Gen. 25: 31.* legitur Pontificatum Maximum datum tribui Levi איתיהיבת לוי כהונתא רבתא לשיבתא לוי 7. Sacerdotium esse haereditatem Levitarum. Nec dubium esse potest, quin Levitae illi fuerint, quibus Deus mandaverit decimas a populo accipere, non sacerdotes: etiamsi, ut Judaei tradunt, in *Gem. Ketuvoth. 26: 1.* stante Templo II, decimas Levitis aliquando non dederint, veritate hoc Ezra, sed Sacerdotibus. Hic autem agit Paulus non de consuetudine, sed de mandato Dei, quo certe Levitae ad decimas jus acceperunt.

V. Ex his decimis Levitae sacerdotibus §. V. Decimae e decimis.
decimas pendebant, juxta mandatum Dei
Num. 18: 26. Nehem. 10: 38. ubi illae ad
Tem-

Templum delatae fuisse dicuntur (uti & in libro Tobiae c. 5: 19. legitur δεκάτας τῶν γεννημάτων Hierosolymas fuisse delatas) quam tamen Judaei velint licuisse eas dare cuicumque Sacerdoti aliquis vellet, quod ad consuetudinem, non jus, referri debet, & ad illa tempora referendum videtur ad augendam Sacerdotum in Templo frequentiam, utque eo magis Templo adhaererent, uti commate ultimo ejus capituli monetur. Solebant enim a Templo aufugere quod illuc debita munera non afferrentur: id de Levitis notatur *Nehem.* 13. 10. Saepe enim cibus deerat sacerdotibus atque ideo decimae jubentur afferri ad Templum ut sacerdotes haberent quod ederent. *Maleach.* 3. 10. Et Chizkias conclavia paravit ad eundem usum in Templo. *2 Chr.* 31: 11. Has Hieronymus *Comment. ad Ezech.* 45. p. 1040. δευτεροδεκάδας appellat, sive *Decimas secundas*: quo nomine Judaei aliter utuntur, uti §. sequenti videre est. Nec tamen erat necessarium ut Levita has decimas ipse sacerdoti daret: poterat id Israëlita facere & portionem Levitis dandam ea parte imminuere. Sic David legitur dedisse sacerdoti Irae Jairitae decimas, quapropter volunt *2 Sam.* 20: 26.

dici

dici illum fuisse **ל**, Davidi, Sacerdotem, cui David dona daret, non aliis.

VI. Decimae autem secundae Hiero-
solymis a domino (cui licebat sacerdotes
& Levitas in convivium adsciscere) de-
buerunt comedi, nec in luctu nec immun-
ditie. *Deut.* 12. 17. & 14. 27. vel dum
Tabernaculum Schilunte fuit, in omni
loco unde Schilo conspici potuit. *Megil-*
la. 1. 11. Non licuit pretium earum aliis
rebus impendere quam cibo, potui, vel
unctioni. *Scheviuth.* VIII. 2. Tobias te-
statur se decimas secundas vendere con-
suevisse, & pretium earum Hierosolymis
quotannis impendisse. *Tob.* 1. 7. *Maaser*
scheni. 1. 7. & 11. in quo codice hoc ar-
gumentum copiose illustratur. Decimis his
accensetur fructus plantae quarti anni, Hie-
rosolymis uti decimae secundae comeden-
dus. *Lev.* 19:24. *Maaser scheni* v. 1. *Gem.*
Hier. Pea. 20. 3.

VII. Ad decimas pauperum, **שְׁטוֹחֹסֶדֶק**
dekádas dictas Hieronymo, non tantum
Israëlitae sed Sacerdotes & Levitae tene-
bantur, quia scilicet urbes suas **עֲרֵי מְנַרְשׁ**
habebant. Quod unum erat ex quinque
privilegiis quae Deus pauperibus concesserat,
quorum primum hoc erat, alterum

פֶּאֶה

פאה, *angulus* agri non metendus sed relinquendus iis. *Lev.* 19. 9. (confer *Mafsechet Pea.*) tertium, spicae decedentes, לקט *Levit.* 29. 9. quartum, uvae cadentes *ibid.* vers 10. quintum, manipulus per oblivionem in agro relictus. *Deut.* 24. 19. Confer *Pirke Avoth.* v. 9.

§. VIII.
Confessio
decimarum.

VIII. Omnibus his rite & legitime ablatis confessionem Decimarum הדיית אבליס confessionem Decimarum אבליס edebat Dominus, quae extat *Deut.* 26. 13. quamque abrogavit Jochanan P. M. *Sota.* ix. 10. *Maaser scheni.* v. 15. quia in illa occurrunt haec verba, *dedi Levitis.... & secundum omnia quae praecipisti mihi*: quod vere dicere non poterant, quia Ezras constituerat (ita Judaei scribunt, sed alii negant) ne Levitis decimae darentur sed Sacerdotibus, quia recusabant cum ipso Hierosolymas adscendere. *Ezr.* 8. 5.

C A P. X.

De Votis.

§. I. Vota I.
quae.

POterat aliquis res profanas Sacras facere suscepto voto, & vel personas, se & alios qui sub potestate ejus erant,

erant, vel res, Deo sacrare. Vota haec
 נדרים appellantur: de quibus agitur
Num. 30. & per totum Codicem Tal-
 mudicum *Nedarim*.

II. Personae secundum aestimationem
 suam Deo consecratae ἀπλῶς redimi po-
 terant, *Levit.* 27: 3. & Sacerdotum erat
 eas aestimare, uti jam ante indicatum fuit.
 Maris נרנן sive aestimatio, a nato 20 an-
 nos usque ad 60, erat 50 siclorum argen-
 teorum. Faeminae, 30 siclorum. Maris
 a nato 5 annos usque ad 20, siclorum
 20, faeminae 10 siclorum. Maris a na-
 to mensem unum, 5 siclorum, faeminae
 trium. Maris supra aetatis annum 60, si-
 clorum 15, faeminae siclorum 10. Qui
 victimam Deo sacraverat altari idoneam:
 offerre eam debuit: nec redimere nec com-
 mutare eam licuit. *Levit.* 27: 10. Bestiae
 immundae redimebantur addita quinta par-
 te pretii. *Ibid. comm.* 13. Primogenita ani-
 mantium, & si quae etiam sine votis Deo
 sacra erant, denuo voveri non poterant.
 Domum Deo devotam & agros haeredi-
 tarios aestimabat Sacerdos & vendebat:
 quae si ipse dominus non redimeret, etiam
 in Jubilaeo ad eum non redibant. Quod
 autem per נדר erat devotum redimi non

§. II. Per-
 sonae &
 res devo-
 tae quae

Bb

po-

poterat sive esset homo, sive bestia, sive ager possessionis, לא יגאל *non redimetur*; sed erit קדש קדשים ליהוה res sanctissima, Deo Sacra. Homines per חרם devoti mortem subibant. *Levit. 27: 29.* Confer *Erachin. viii: 6.*

§.III. Vota prohibentia quae.

III. Judaei dispescunt vota in species duas, quarum priorem constituunt נדרים אסור *vota prohibentia*, posteriorem נדרים הקדש *vota consecrancia*. *Vota prohibentia* illa nuncupantur, quum aliquis vovet abstinentiam a re licita, veluti si cibis, vestibus, actionibus his aut illis se non usurum promittat. Formula horum votorum erat: *haec res sit mihi כקרבן sicut res Deo sacra*: & per illam interdicebat sibi illius rei usum. Aliquando per compendium hae formulae pronunciabantur, verbi gratia, שאני אוכל *me non comesturum*: talesque Judaeis ידות, quasi ansas dicas, appellantur, quas qui habet, reliquum vasis facili negotio adsequetur.

§.IV. Vota consecrancia quae.

IV. *Vota consecrancia*, sive נדרים הקדש sunt illa per quae aliquid vovetur in usus sacros, dividunturque & ipsa in species I. קדשי המזבח *sacra altari* & II. קדשי בדק הבית *sacra reparationi Templi*. *Sacra altari* distinguuntur in נדרים, *vota*

ge-

fuisse verborum ejus suspicamur, quia de eo agens quod egrediens ex domo sibi occurreret, de solis hominibus cogitare non potuit, quod illos in holocaustum Deo offerre nec licitum nec Deo gratum esse sciret: & de solis animantibus brutis cogitare non potuit, quod homines magis quam bruta animantia ei occurfuros esset probabile, nec omnia animantia Deo in holocaustum offerri possent. Videtur itaque ipsa rei natura flagitare ut bipartitum concipiatur votum: sic ut vel generatim Deo sacrum esset, quo poterat modo; & speciatim si animal esset sacrificiis aptum quod Divina providentia ei in occursum mitteret, holocaustum esset. Oblatio quidem animalis mundi in holocaustum res tanti momenti non erat, ut ea sola in signum grati animi pro reportata victoria Deo voveri debuerit: sed nec hoc solum vovit Jephtha, & se in illo discrimine constituit, ut non animantibus, sed rebus carissimis, privari posset.

§. VI. illustratur
idem.

VI. Ad voti hujus illustrationem sequentia notari merentur. Primo quidem, votum hoc ita debere explicari, ut Jephtha credere potuerit rem quam vovebat fore Deo gratam. Ideo enim vovit ut a Deo

vi-

victoriam consequeretur, aut certe grati animi signum ederet. Non potuit itaque vovere, se unumquemque domesticorum qui ei occurreret, interfectorum. Id gratum esse Deo non poterat. Secundo: res omnes posse sacrari Deo, licet modis diversis: & de mulieribus ipsis legi *Num.* 31: 35. quae concubitus maris non cognoverant, eas Deo datas, id est, sacras fuisse. Tertio. Per *Cherem* non licuisse devovere homini Israëlitae domesticos suos Israëlitae, qua data licentia caedibus lata porta fuisset aperta. Hominem immolans Deo erat abominatio. *Jes.* 66: 3. Servos ipsos non licuit laedere, oculisque aut dentibus privare. *Lev.* 21: 26. Quid? quod nullum proximum laedere licuerit. *Lev.* 24. 20. Adeoque devoti per *Cherem* fuere ex Cananaeis, captivis &c. *Num.* 31: 7. *1 Sam.* 15: 33. Quarto. De immolatione filiae Jephthae, ubi, quando, & per quos illa peracta sit nihil in Sacro codice legitur. Fuissent autem sine dubio hae circumstantiae notabiles: e contrario status innuptus filiae deploratur, nusquam mors: ne jam dicam de itinere puellarum ad filiam Jephthae *commate* 40: & pietate ejus *Hebr.* 11: 32. celebrata, quacum immane hoc facinus parum convenit.

§. VII.
Formula
voti teme-
rarii ex N.
T.

VII. Mentio fit in N. T. alterius vo-
temerarii, quo se Pharisei subtrahere sole-
bant officiis quae parentibus debebant,
dicendo Κορβαὶν ὁ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφελῆθῃς.
Matth. 15: 5. quod Hebraïce esset קרבן
לי : שאתה נהנה לי : nam נהנה est utili-
tatem percipiens, ut in *Midrasch schir haf-
scbirim fol. 7. 1.* מריח נהנה אתרוג לא
חסר, utilitatem percipit qui odoratur, &
pomum ipsum non minuitur. Quales formu-
lae in codice *Nedarim. VIII. 7. XI. 11. &*
alibi plures inveniuntur, uti קרבן שאני
קונם vel נהנה לך.

PARS

P A R S I V.

D E

TEMPORIBUS SACRIS.

C A P. I.

De Annis.

I.



Nni Initium quadruplex ab Hebraeis statuitur in *Rosch haschana* 1.4. I. A mense Nisan incipit Annus Sacer, secundum quem festa disponuntur, quae si celebranda essent mense primo, vel tertio, a Nisan anni initium capiebatur *Exod. 12: 2*. Inde etiam anni Regum Hebraeorum supputabantur, ita ut si quis Rex in Adar regnaret, a Nisan alter annus imperii ejus inciperet: & hinc quoque annos tum ante tum post diluvium videntur Patriarchae fuisse exorsi. II. A mense Tisri incipit annus Civilis, quo in contractibus, supputandis Jubilaeis & annis Sabbathicis utebantur, uti & in annis plantarum, quae si modo 30 dies ante primum diem

§. I. Annorum initium quadruplex.

Bb 4

Tisri

Tisri fuissent plantatae, anno scilicet decimo, censebatur id spatium pro anno primo: dein manebat in praepotio anno undecimo, duodecimo & decimo tertio usque ad diem 15 mensis Schebet. *Gem. Rosch hasschana. 10.1. III.* A mense Elul incipit annus pecorum decimandorum, sic ut quae inter initium unius & alterius Elul nata essent, ejusdem anni foetus censerentur. *IV.* A die 15 Schebet initium capiebat annus fructuum ex arboribus decimandorum.

§. II. Annorum inaequalitas.

II. Anni omnes veterum Hebraeorum non uno eodemque modo se habuerunt, sed alter altero longior fuit, quum illi quidem secundum cursum Solis essent dispositi, menses vero secundum cursum Lunae (unde differentia dierum undecim nascitur inter dies 354 & 365) & nonnunquam mensis integer interfereretur. Annum quidem Solarem 365 dies complecti scribunt in *Gem. Hier. Nazir. 5.1. 3. Gem. Beracoth. 32. Gem. Rosch hasschana. 6.2.* vel, ut alii distinctius notant, dies 365, horas 5, minuta 817. Lunarem vero dies 354, horas 8, minuta 777. Annus *Communis*, שנה פשוטה appellabatur, alter vero *intercalaris*, שנה מעוברת. Ille complecte-

plectebatur aliquando dies 352, si menses plenos 4, cavos 8 contineret; 353, si plenos 5 cavos 7; 354 si plenos 6 & cavos 6, (qualis hic annus est in quo Judaei nunc versantur) 355 si plenos 7, cavos 5, & 356 si plenos 8, cavos 4. Hic autem annus sive intercalaris, auctus mense cavo, sive 29 dierum, modo erat 381, modo 382, 383, 384, & 385 dierum: si vero auferetur mense pleno, annus minimum erat 382 dierum, atque ita porro. Sic ut in anno communi inter Pentecosten unam & alteram, aut inter festum novi anni unum & alterum, esset tantum 4 dierum differentia, & in anno intercalari dierum quinque אין בין עצרת לעצרת ואין בין ר' השנה לר' השנה אלא ד' ימים בלבד ואם היתה שנה מעוברת ה' הוה uti legitur in Gem. Schabbath. 87. 2. Gem. Erachin. 9. 2. Gem. Rosh hasschana. 6. 2. & 20. 1. Gem. Succa. 5. 4. Confer Erachin. 11. 2.

III. Anni intercalatio fiebat inserto §. III. Anni inter Adar & Nisan mense uno, ואדר Intercalares qui appellato, & אדר בתראה Gem. Rosh hasschana. 6. 2. & אדר שני ibid. 19. 2. (de quo disputant an ille, an vero praecedens

dens Adar sit insititius in *Gem. Hier. Megilla* 71.1.) quasi alterum Adar dicas. Haec erat necessaria, quia sine illa festum Paschatis, quod in tempus maturescentis hordei incidere debuit, in ipsam hyemem incurrisset: eaque fiebat, uti Talmudici tradunt, per Praesidem Synedrii & nonnullos ex collegis ejus qui ad hanc rem electi erant *Gem. Sanhedrin.* 11. 1. Erant autem ad minimum tres, sed ad septem augeri poterant: inter quos summa erat auctoritas Praesidis Synedrii, sine cujus voluntate annus intercalari non poterat, & cujus nomine literae ad Judaeos procul degentes scribebantur, ut annum intercalatum esse, & quas ob causas, noscerent. Formula earum legitur in *Gem. Sanhedrin.* 11. 2. & in *Gem. Hier. Maaser sheni.* 56. 3. Tradunt Judaei in *Gem. Sanhedrin.* 18. 2. inter illos, qui de Intercalatione deliberarent, nunquam fuisse Pontificem Maximum, quippe cui intercalatio anni non placebat, quod per eam dies expiationis (quo se lavare aliquoties debuit & diu insistere solo frigido) in tempora hyemi propiora incideret; aut Regem, cui intercalatio anni placebat, quod ita stipendium anni communis extendere ad 13 menses posset.

posset. Karaei autem intercalationem stante Templo a Pontifice Maximo & reliquis Sacerdotibus, aut Propheta, factam fuisse existimant.

IV. Tres causae praecipuae intercalandi §. IV. Causae intercalationis, annum recensentur in *Gem. Sanhedrin. 11. 2.* תקופה *Aequinoctium* (quam vocem nonnulli volunt aequinoctium autumnale semper indicare, uti *Exod. 34. 22.* sed obstat *2 Chron. 24. 23.* coll. cum *2 Sam. 11. 1.*) si ex tabulis Astronomicis Synedrium deprehenderet aequinoctium vernum futurum esse die 16 Nisan, aut postea, annum intercalabant. Sunt autem 4 Tekuphae, Nisan, Tammuz, Tisri, & Tebeth. Inter unamquamque erant 91 dies, 7 horae & dimidia. *Gem. Eruvin. 56. 1.* II. על האביב. Si seges hordeacea tardius proveniret, quam ut die secundo Paschatis, id est, 16 Nisan, meti posset. III. על פירות האילן. Si arbores, quarum בכורים in Pentecoste offerri debuerent, baccas suas nondum, ut solebant, profudissent. Praeter has erant aliae causae intercalandi, in *Gem. Sanhedrin. 11. 1.* memoratae, sc. I. לפני הדרנים si viae per quas proficisci Hierosolymas debebant, refici deberent; vel 2. לפני הגשרים si pontes de-

deberent restaurari, vel 3. מפני תנורי פסחים furnos, in quibus agni Paschales affabantur, imber ita vitiaffet, ut inepti essent ad usum; vel denique 4. מפני גליות ישראל, si Judaei procul in exilio degentes in itinere haererent nec stato tempore Hierosolymis adesse possent; vel si ante initium anni instantis Sabbathici vindemia sperari non posset.

§. V. Tempus.

V. Non ante festum novi anni intercalare licuit, & plerumque expectabatur mensis Adar. Toto autem mense Adar labente, usque ad diem 29, poterat annus intercalari, & Senatus dicere; mensis, qui cras initium capiet erit ואדר Adar secundus. *Eduioth VII. 7. Gem. Rosh hasschana. 7. 1. Gem. Hier. Sanhedrin. 18. 4.* & pro arbitrio illum Veadar plenum aut cavum statuebat. Non autem licuisse annum intercalare die 30 Adar, tradunt Judaei, quia si Nisan sequeretur, is dies ad Nisan pertineret: at quum sunt duo Adar, prior 30, posterior 29, dies complectitur. Hinc sapientes Chiskiae vitio verterunt quod עיבר ניסן בניסן intercalarit Nisan in Nisan. *Pesachim. 17. 9. Gem. Sanhedrin. 12. 2. Gem. Hier. Nedarim. 40. 1. Gem. Beracoth. 10. 2. Gem. Hier. Sanhedrin. 18. 4.* VI.

VI. De initio anni Politici, sive primo die mensis Tisri, observandus est §. VI. De vario initio anni Politici.
 non Judaeorum לא אדרו רה' ולא בד' פסח *Nunquam Adu caput anni est, nec Badu Pascha.* Id est, primum diem Tisri, si incideret in diem hebdomadis primum, quartum, aut sextum, non ab illo sed sequenti demum mensis initium esse faciendum; ad vitandum concursum duorum festorum se consequentium, uti Sabbathi & festi Tabernaculorum, si in diem primum hebdomadae incidat, diei Expiationis & Sabbathi si in quartum diem incidat, festi Tabernaculorum & Sabbathi si in sextum. Hanc trajectionem dierum vocant דהייר: at ea usitata semper apud Hebraeos non fuit, quum ex ipsa Misna probari possit diem expiationis proxime Sabbathum praecessisse. Vide *Menachot xi. 7.*

VII. Olim quidem anni supputati fuerint initio ducto a vitis Prophetarum aut clarorum hominum, uti *Gen. 7. 11.* vel exitu ex Aegypto *Exod: 19. 1. Num. 33. 38. 1 Reg. 6. 1.* vel exstructione Templi *2 Chr. 8. 1.* & annis Regum. Postea ab initio captivitatis Babylonicae epocham duxerunt. *Ezech. 33. 22. & 40. 1.* & quum in patriam

triam rediissent, a condito Templo Secundo. Verum anno quadragesimo hujus epochae, quum Alexander Macedo Urbi Hierosolymitanae pepercisset, ab eo tempore aeram novam inchoarunt, qua ultra mille annos usi sunt, quaeque מנין שטרות *Aera contractuum*, dicitur, vel ut aliis placet, *Aera Principatum*, a 4 imperiis, in quae scissum fuit Alexandri regnum post ejus obitum. *Avoda zara. I.* Annus labens est secundum hanc aeram contractuum ex mente Judaeorum 2020.

§. VIII.
Aera hodierna.

VIII. Hac aera abolita aut neglecta post Gemarae obsignationem coeperunt annos numerare a creatione mundi, quem morem nunc quoque habent; ita ut hic annus qui nobis est 1708, ipsis sit 5468, si scilicet addamus partem aliquam anni 1707: nam Annus Judaicus 5468 incepit a die 27 Septembris anni nostri 1707, qui ipsis erat primus dies Tisri, & desinet in 14 diem Septembris anni labentis 1708, qui ipsis erit ultimus sive 29 Elul. Compendii causa solent millenarios numeros abjicere, & annum תתקפ"ח, secundum aeram minorem scribere, id est, 468; cui numero si addamus 1240, resultabit annus labens aerae Christianae.

IX.

IX. Dividitur annus in sex tempestates §. IX. Sex a Judaeis in *Gem. Bava mezia. 106: 2.* ^{tempesta-} _{tes annis.} Quarum singulae duos menses integros complectuntur.

זרע <i>Sementis.</i>	{	Dimidium Tisri.
		Marchesvan.
חורף <i>Hyems.</i>	{	Dimidium Cisleu.
		Dimidium Cisleu.
קור <i>Frigus.</i>	{	Tebeth.
		Dimidium Schebat.
קציר <i>Messis.</i>	{	Dimidium Schebat.
		Adar.
קייץ <i>Aestas.</i>	{	Dimidium Nisan.
		Dimidium Nisan.
חום <i>Calor.</i>	{	Ijar.
		Dimidium Sivan.
	{	Dimidium Sivan.
		Tammuz.
	{	Dimidium Ab.
		Dimidium Ab.
	{	Elul.
		Dimidium Tisri.

X. Hinc illustrantur multa tum in Sa- §. X. *Ufus*
cro Codice tum scriptis Judaicis. *Job. 10:* *hujus divi-*
22. hyems fuisse dicitur in festo Encoe- *sionis.*
niorum sc. 25 Cisleu. Scil. tunc erat חורף.
Dies

Dies quinquagesimus post אה, id est, festum Tabernaculorum, incidit in חורף. Vide *Schir Hasschirim Rabba*. 36. 1. Mense nono rex sedebat ad ignem. *Fer.* 36. 22. Die vigesimo mensis noni, sc. Cisleu, erat tempus pluviarum. *Ezr.* 10. 13. Nota tria fuisse potissima pluviarum tempora *Gem. Nedarim*. 63. Pluvia prima descendit die 17 mensis Marchesvan. Tunc armenta redibant domum: nec pastores in tuguriis amplius habitabant in agris ut pecora observarent: sed circa Pascha iterum pecora educebant. Pluvia secunda die 23 ejusdem mensis. Pluvia tertia primo die mensis Cisleu: atque hinc aestas nomine ימות החמה hiems vero ימות הגשמים nuncupari solet. Sic in *Gem. Foma*. 15. 2. dicitur fuisse תקופה טבת & nix Hierosolymis descendisse super Hillelem in fenestris auditorii sedentem. Et in *Targum Coheleth*, *da partem 7 & da partem 8*, ita redditur; partem seminis optimam terrae manda in Tisri mense septimo, sed & ne negligere menssem octavum. In *Nedarin* viii. 4. קייץ id tempus esse legitur quo ficus maturae in corbes colliguntur. Haec & similia ex tabella modo exhibita haud parum lucis accipiunt.

XI. Menses , חדשים , in anno Hebraeorum sunt duodecim , nisi annus esset intercalaris , quo tredecim erant. Solebant autem olim nominari ab ordine quem in anno obtinebant , unde primus , secundus , &c. dicebantur. *Gen. 8: 13. Num. 9: 11. 2 Chron. 15: 10.* Postea his Chaldaicis nominibus insigniti sunt , quibus nuncupantur in *Gem. Pesachim. 94. 2. &c.*

§. XI. Mensium nomina.

I. נִסָּן Nisan. *Nehem. 2: 1.*

II. אֵיָר Ijar.

III. סִיָּוִן Sivan. *Esth. 8: 9.*

IV. תַּמְּמוּז Tammuz.

V. אָב Ab.

VI. אֱלּוּל Elul. *Neh. 16: 15.*

VII. תִּשְׂרִי Tisri.

VIII. מַרְחֶשְׁוֶן Marchesvan.

IX. כִּסְלֵו Cisleu. *Zach. 7: 1. χασλεϋ*

1 Macc. 1: 57.

X. טֵבֶת Tebet.

XI. שֶׁבַט Schebat. *Zach. 1: 7.*

XII. אָדָר Adar. *Esth. 3: 7. ita dictus*

Συριακῆ Φωνῆ. 2 Macc. 15: 37.

Nomina alia mensium , ut וַיָּו , mensis secundi *1 Reg. 6: 1.* & בּוֹל octavi *1 Reg. 6: 38.* & mensis 7 , יָרֵךְ הָאֲתָנַיִם , *1 Reg. 8: 2.*

aut אֲנִי mensis 1, *Exod.* 13: 4. creduntur nomina non esse propria. Veluti de אֲתָנִים legitur, quia eo mense nati sunt Patriarchae אֵתְנִי עוֹלָם, hoc nomen tulisse, in *Gem. Rosh hasschana.* 11.1. (quo faciunt haec Hieronymi ad *Mich.* 6. pag. 1538. Sunt qui fortia fundamenta terrae Abrahamum Isaacum & Jacob & Patriarchas reliquos interpretentur) & ibidem de זִו, quia venit זִו דְּאֵילָנִי, vel quod eo nati sint זִוְתָנִי עוֹלָם. Eademque fere de mensibus בּוֹל, אֲתָנִים, & זִו in *Gem. Hierosol. Rosh hasschana.* 56. 4. leguntur.

§. XII.
Convenientia
cum nostris.

XII. Certo dici nequit quis horum mensium cum mensibus nostrorum annorum conveniat, siquidem anni Judaeorum & menses inaequalis mensurae sunt. Plerumque *Nisan* cum nostro Martio, *Ijar* cum Aprili, convenire dicitur: atque ita etiam in *Midrasch Megillath Esther.* 132. 2. dicitur מוֹל טְלָה מִשְׁמַשׁ כַּחֲדָשׁ נִיסָן, signum arietis convenire mense *Nisan*, tauri תָּו *Ijar*, atque ita porro, ut signum piscium mense *Adar* tribuatur. Sed nonnunquam dies mensis *Nisan* in *Majum* incidunt, uti anno elapso, aerae scilicet *Judaicae* 5467, quum dies 30 mensis *Nisan* idem esset cum 2 *Maji*, anni aerae nostrae

nostrae 1707, propter insertum mensem
 7771. Atque ita Josephus l. vii. de bell.
 12. diem festum azymorum scribit fuisse
 nonum Aprilis. Quomodo autem menses
 Judaici hoc anno conveniant cum nostris
 hinc colligitur.

<i>Anno Judaico</i>	<i>Anno aerae Christia-</i>
5468.	<i>nae</i> 1707.
Primus dies Tisri est	Dies 27 Septembr. 1707.
1. Marchesvan.	27 Octobris. 1707.
Casleu.	25 Novembr. 1707.
Thebet.	25 Decembr. 1707.
Schebat.	23 Januar. 1708.
Adar.	22 Februar. 1708.
Nisan.	22 Mart. 1708.
Ijar.	21 April. 1708.
Sivan.	20 Maj. 1708.
Tammuz.	19 Jun. 1708.
Ab.	18 Jul. 1708.
Elul.	17 August. 1708.

XIII. Menses Judaici sunt vel *pleni* §. XIII.
 מלאים sive 30 dierum (quales omnes Distinctio
 fuisse viventibus primis Patriarchis vulgo in plenos
 colligitur ex collatione Gen. 7: 11. & 8. & cayo.
 4.) vel *cavi* חסריים dierum 29, Gem.

Beracoth. 30.2. Olim quidem stante Templo id a Lunae phasi plurimum dependebat, nunc a solo calculo astronomico: sic ut aliquando 8 cavi vel e contrario totidem pleni in anno inveniantur. Nunquam fuere plures pleni quam octo & pauciores quam quatuor. *Erachin. 11.2.* Ita in anno 5467 proxime elapso *Tisri* erat mensis plenus, *Marchesvan* cavus, *Cisleu* cavus, *Tebet* cavus, *Schebat* plenus, *Adar* plenus, *Veadar* cavus, *Nisan* plenus, *Ijar* cavus, *Sivan* plenus, *Tammuz* cavus, *Ab* plenus, *Elul* cavus. Hoc autem anno 5468 alternatim menses pleni sunt & cavi, *Tisri* plenus, *Marchesvan* cavus &c. Tradunt Talmudici in *Gemara Hieros. Megilla. 71. i.* semper mensem illum *Adar* cavum fuisse qui praecedebat mensem *Nisan*, sive *Veadar* esset, sive alius (לעולם אדר) & in *Gem. Betza. 6. 1. & 22. 1.* uti & *Gem. Rosh hasschana. 19. 2.* *Elul* plerumque fuisse cavum, nec a diebus *Ezrae* ullum *Elul* plenum fuisse: quapropter si *Synedrium* *Judaeis* procul habitantibus per legatos non significasset, *Elul* esse plenum, *Judaei* eum pro cavo habebant & post diem 29 *Elul* novum annum ordiebantur. Nunc cessat destructo

Sy-

Synedrio inter Rabbanitas consuetudo menses plenos cavosque pronunciandi secundum phasin Lunae, sed secundum Cyclum Hillelianum novendecim annorum annos suos mensesque disposuerunt inde ab anno 670 aerae Contractuum, ita ut non dependeat anni intercalatio, mensiumque quantitas & numerus, a causis incertis, ut olim, sed certissimis. In cyclo hoc Hilleliano anni intercalares sunt 3, 6, 8, 11, 14, 17, 19.

XIV. Menses stante Templo & sedente in Palaestina Synedrio consecrari solebant non secundum solas rationes Astronomicas, sed phasin Lunae, a Praefide Synedrii, & quidem interdum, hac formula, *מקודש*, *consecratus est*: quum per testes fide dignos (vid. *Ro'h haschana. 11. 6.*) & a Synedrio examinatos constaret novam Lunam conspectam esse: sed postea everso Synedrio phasin Lunae neglexerunt Judaei Rabbanitae, a quibus hac in parte Karaei abeunt, qui semper a *ראייה* *apparitione* Lunae, non *השבון* *calculo* astronomico, menses metiuntur. Urgent illi *1 Sam. 20: 6.* ubi David ait cras fore novilunium, quod si a Lunae phasi dependisset, scire David non potuisset, & *1 Chron. 12: 32.* ubi scientia rerum Astro-

§. XIV.
Consecratio eorum an semper a phasi dependit.

nomicarum tribuitur filiis Isaschar, unde Israelitae scirent quid sibi faciendum esset: quod plus arguit requiri ad figenda tempora quam conspectum Lunae. Quibus addunt ex *Nehem.* 9: 19. totis 40 annis in deserto Lunae conspectu destitutos fuisse majores suos, quum columna ignis noctu illustrarentur: & etiamsi Luna die 31 non appareret tamen alterius mensis initium eo die constitutum esse stante Templo, quia ex calculo Astronomico notum est mensem longiorem esse non posse 30 diebus.

§. XV.
Dies.

XV. Dies vel spatium *υποθημεριον* indicat, adeoque 24 horas complectitur, uti *Pf.* 88. 2. vel spatium quod ab ortu ad occasum solis protenditur, & opponitur nocti. Illum naturalem, hunc civilem appellare possumus. Diem naturalem inchoant Judaei ab ortu stellarum, quando nempe tres stellae mediocres apparent, quia *Nehem.* 4. 21. 22. finis diei statuitur *בצאת הכוכבים* in ortu stellarum. In *Gem. Schabbath.* 35: 2. dicitur, si una stella appareat, esse adhuc diem; si duae, esse tempus quod *בין שמשות* inter soles appellatur; si tres, esse noctem. Adeoque diem inchoant, uti Athenienses, de quibus ex Varrone Gellius Noctium Atticarum

rum. III. 2. eos a sole occaso ad solem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem esse dicere. Tempus nocturnum diurno praemittunt, quum tenebrae priores luce fuerint *Gen. 1: 3.* (quo loco Judaei jam olim coram Alexandro Macedone ad hanc rem probandam usi fuisse leguntur in *Gem. Tamid. 66. 1.*) & integri diei spatium primo per vesperam deinde per mane deducatur *Gen. 1: 5.* In sacrificiis tamen comedendis dies praecedit noctem: בקרבנות הלילה הולך אחר יום, uti legitur in *Gem. Hier. Foma. 38. 2.* & *Gem. Chullin. 83. 1.* quod colligunt Talmudici ex *Lev. 7: 15.* ipso die sacrificii comedetur, nil remanebit usque ad mane. Confer *Berachot. 1. 1.* *Menachot. xi. 9.* & *Chullin. v. 5.*

XVI. In 12 horas minores & vulgo ita dictas dies dispelcitur *Johan. 10: 9.* §. XVI. Horae majores, & minores. יב' שעות הוי היום 12 horae sunt diei. *Gem. Sanhedrin. 1. 4.* quae καίριαι vel longiores erant vel breviores pro mensura diei. Porro Dies, quatenus nocti opponitur, dividitur in 4 quadrantes. *Nehem. 9: 3.* רביעית היום Quadrans diei unus & alter memorantur. Et per haec quoque intervalla operae hominum conductorum ad

vineam colendam fuere distributae *Matth.* 20. 1-5. summo mane, hora tertia, sexta & nona. Patitur autem linguae Graecae genius spatium ejusmodi ὥραν dici, uti quadrantes anni ὥρας vocant. Quapropter hinc conciliatio a multis petitur locorum *Marc.* 15: 25. & *Johann.* 12: 14. ubi ille Christum hora tertia crucifixum, hic sexta traditum scribit a Pilato ut crucifigere-
tur. Nam Marcum volunt horam tertiam majorem intellexisse, id est, tertium diei quadrantem, Johannem vero horam sextam minorem.

§. XVII.
Num per
illas con-
ciliari
queant di-
cta Marci &
Johannis.

XVII. Sed nobis haec conciliatio non probatur, quod horarum illarum majorum nulla plane in scriptis Judaicis fiat mentio, & Marcus ipse, quemadmodum & omnes scriptores sacri, de horis loquentes, soleant horas ordinarias, id est, particulas diei duodecimas, intelligere. Quid? quod Marcus in hoc ipso capite, commate 33 & 34 scribat *hora sexta* tenebras esse obortas, *hora nona* exclamasse Jesum: quibus ostendit se horas ordinarias intelligere. Voluisse autem illum in eodem hoc capite, commate 25, per *horam tertiam* indicare tertium diei quadrantem, & voci ὥρας, non admonito lectore, aliam notio-

tionem dare quam semper consuevit, ego mihi non persuadeo: hoc enim esset, si quid judico, de industria obscuritatem sectari. Crediderim itaque illa Marci, *erat hora tertia & crucifixerunt eum*, referenda ad divisionem vestium Christi, quae facta sit hora tertia postquam Christum crucifixissent: uti *Nehem. 8: 1.* legitur *Και ἔφθασεν ὁ μὴν ὁ ἕβδομος καὶ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐν πόλεσιν αὐτῶν.* Vel, si hora tertia crucifixionis actus potest dici cepisse initium, legendum esset *Johann. 19: 14.* *τρίτη pro ἕκτη.* Extatque haec scriptura in variis codicibus MSS. tis, & ita jam olim in antiquissimo codice Ephesino, qui ipsius Johannis *αὐτόγραφον* putabatur, lectum fuisse Petrus Alexandrinus testatur, cujus haec verba in Chronico, quod vulgo Alexandrinum dicitur, leguntur, *pag. 5. & 219.* *Ὡρα ἦν ὡσεὶ τρίτη καθὼς τὰ ἀκριβῆ βίβλια περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τῶν Ευαγγελιστῶν ὅπερ μέχρι τῶν νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἀγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ.* Quod si olim notis expresserint numeros, facile *ς* pro *τ* scribi potuit, id est, *ἕκτη* pro *τρίτη.*

XIX
 πιντοῖ
 2001

XVIII. Nox dividitur quoque in Quadrantes, dictos *תקוותא*, vigilias, Graecis

§. XVIII.
 Vigiliae
 noctis.

cis φυλακὰς. *Luc.* 12: 38. *Matth.* 14: 25.
 Saepe quidem apud Judaeos שמורה five
 vigilia tertiam partem noctis significat, &
 propterea quidam putant divisionem no-
 ctis in quatuor vigiliis a Romanis profe-
 ctam esse, cujus meminit Censorinus *de die*
natali, cap. 21. verum in ipso initio Ge-
 marae *Beracoth.* 3. 2. & *Echa rabbati* 78.
 2. ubi sententia R. Eliezeris refertur, di-
 centis tres esse noctis vigiliis, scriptum est
 תנו רבנן ד' משמרות הוי הלילה *tradi-*
disse Doctores, 4 esse vigiliis noctis, &
 testimoniis Sacri Codicis eas firmare fa-
 tagunt.

§. XIX.
 Horarum
 partes
 1080.

XIX. Dividuntur horae in minuta vel
 חלקים 1080, quod is numerus commo-
 diffime per 2, 4, 8. & 3, 6, 9. & 5, 10
 & plurimos alios numeros dividi possit.
 Sic mensem verum Lunarem Synodicum
 terminant diebus 29, horis 12 & minu-
 tis 793: & annum Lunarem 354 diebus,
 horis 8, & 876 minutis: solarem Lunari
 majorem statuunt diebus 10, horis 21, &
 & minutis 204. Habent quoque illorum
 minutorum rationem in figendo initio men-
 sis veri Lunaris, seu nativitate Lunae, ut
 loqui amant, vel המולד: & nostram di-
 visionem horae in 60 minuta negligunt,
 quod

quod per 8 & 9 dividi nequeat. Denique Judaei memorant minimam horae & temporis particulam, *עגל*, *momentum*, *ἀτομον χρόνος*, quales in unaquaque hora sint 56848. uti legitur in *Gem. Hier. Beracoth. 2. 4.* & in *Echa rabbathi. 78. 2.*

XX. Denique observandum est partem horum omnium, scilicet anni, mensis, diei, & horae accipi nonnunquam pro toto, & partem anni annum nuncupari. §. XX. Pars horum omnium pro toto accipitur. Difertis verbis hoc monetur in *Gem. Rosh hasschana. 2. 2.* & *7. 2.* & *Gem. Nidda. 48. 1.* *יום אחד בשנה השוב שנה* *unus dies in anno habetur pro anno.* Ita tres menses dicuntur intercessisse inter Pascha & Pentecosten, quae tamen festa dierum modo quinquaginta, adeoque ne duorum quidem mensium, spatio distabant: & Deus in *Schir hasschirim rabba fol. 15. 4. & 5,* ita loquens introducitur de Israëlitis ex Aegypto egressis *יתעדנו בני עד שלושה חדשים*, & *מox, יתעדנו בני כשלושה חדשים* *delicientur filii mei usque ad tres menses*, antequam nempe Legem in Sinai accipiant. Sic in *Seder olam rabba c. 5.* legitur *שלשום ג' ימים* *nudius tertius esse tres dies.* Nam Hebraeis idem est *לשלושת* *ביום השלישי* & *ימים* *ter-*

tertium, uti liquet ex collatione *Exod* 19: 15. & 11. & hinc Graeci illud τρεῖς ἡμέρας, Vulgatus interpretres *in diem tertium* reddiderunt.

§. XXI.
Hinc illustratur
tempus resurrectionis Christi.

XXI. Hunc morem loquendi imitatus etiam Christus est, quum se resurrecturum ex mortuis dixit μετὰ τρεῖς ἡμέρας *Matt.* 28. 36. ἐν τρισὶν ἡμέραις *Matth.* 28. 40. τῆ τρίτῃ ἡμέρᾳ. *Matt.* 16. 21. & 17. 23. & 20. 19. Illud *post tres dies*, idem est ac *tertio die*, uti *Deut.* 14. 28. μετὰ τρία ἔτη exponitur *cap.* 26. 12. ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ, & apud Josephum, *Ant.* 1: 12. μετ' ὀγδόην ἡμέραν, id est, *octavo die*, circumcidi infantes leguntur. Quod si quem male habeat nihilominus Christum *Matth.* 12: 40. dixisse se tres dies & tres noctes fore in sepulcro, quum non nisi noctes duas fuerit, die Veneris nempe sepultus, & die Solis resurgens, sciat genium linguae Hebraeae id pati, ut dies tres & noctes duae appellentur dies tres & noctes tres, quoniam partes sunt integri νυχθημερίων: quare etiam Graeci Interpretes *Gen.* 7: 17. pro diebus 40 reddiderunt 40 dies & 40 noctes Et illa verba Christi hanc interpretationem pati, nec ab horruisse ab usu sermonis eo tempore inter Judaeos usitati, abunde liquet

quet ex eo quod nunquam Christo aut Apostolis controversia mota fuerit a Judaeis de spatio hoc dierum trium & noctium quo se Christus in sepulcro mansurum esse praedixerat.

C A P. I I.

De Diebus festis.

I. **T**Er quotannis Hierosolymas adscen- §. I. Festa
dere unumquemque marem inter I- majora
fraëlitas Deus jusserat, ut se coram facie Dei tria.
sisterent, tribus festis majoribus, רגלים,
quae & כנפיא nuncupantur, *Paschate, Pen-*
tecoste, & festo Tabernaculorum. Exod. 23:
17. institutis in memoriam trium benefi-
ciorum insignium, quae Deus in popu-
lum Israëlitarum contulit, egressum ex
Aegypto, lationem Legis, & possessionem
terrae. Mulieres itaque, surdi, coeci,
stulti, infirmi, pueri, senes, & quiscun-
que tandem foret, qui pedibus proficisci
Hierosolymas non poterat, eo non obli-
gabantur. Et quamvis nunc Templum de-
structum sit, tamen tenentur haec festa ali-
qua ratione ubivis terrarum celebrare. Mi-
drasch Schir basschirim. 13: 2. Olim tamen
major

major erat illorum festorum celebritas, quod Sacrificia peragi possent & Templum stare: solebant enim puerperae, fluxu feminis laborantes, & alii differre oblationes suas usque ad haec festa, (confer *Job. 11: 55.*) & rei plectendi ad festa haec servabantur, quia tunc magna vis populi congregata erat Hierosolymis, secundum dictum *Deut. 17: 13. ut omnis Israël videat & timeat.*

H. Re.
quisita ho-
rum festo-
rum.

II. Tria in illo praecepto contineri tradunt Judaei in *Gem. Chagiga. 2: 1. & 6. 2.* ad quae obligantur, I. *רִיחַ* Praesentiam, ut unus quisque se sistat in Templi atrio, & primo die festi, si possit, alias sex sequentibus, holocaustum sive ex quadrupedibus sive ex avibus adducat, quod inde holocaustum *רִאִי* sive Praesentiae appellatur. *Exod. 23: 15. Deut. 16: 16.* & ex *חֹלִין* profanis debebat adduci, non ex decimis animantium, &c. II. *הַגִּינָה* Celebritatem, ut unusquisque Sacrificium salutare offerat primo die festi. Quod constabat ex quadrupedum generibus, tam masculis quam faeminis, comedebaturque per duos dies & noctem unam. Hoc quoque e profanis adduci debuit. Notandum omnino hic intelligi *הַגִּינָה* sive

Sa.

Sacrificia celebritatis a Deo mandata, quae erant ex חולין, nam in festo Paschatis erat duplex Sacrificium Chagigae, sc. Chagiga diei decimi quarti, quod est Sacrificium quod comedi poterat ante agnum Paschalem, & liberum erat, sive רשות, comedebaturque ut omnia alia Sacrificia salutaria intra duo dies & noctem unam. Pesachim. vi: 4, poteratque e Sacris, uti e decimis animantium, desumi. Sed Chagiga diei decimi quinti est hoc Sacrificium, quod erat חובה praeceptum: nec ex rebus Deo sacris offerri poterat. Levit. 23: 41.

III. שמחה Laetitiam Deut. 27: 7. sive *Hilaria*, ut voce utar Lampridii, aut *laetam celebritatem feriarum*, uti Gellius xvi: 10. ut sc. praeter illud Sacrificium modo memoratum, alia offerat Sacrificia salutaria quae a laetitia nomen habent. Haec poterant ex rebus votis & decimis animantium offerri. Ad postremum etiam obligantur mulieres, quod Judaei colligunt ex Deut. 27: 7. Si quis autem neglexisset holocaustum illud aut Sacrificium salutare offerre die primo festi, poterat offerre sequentibus sex usque ad finem festi: & quum festum Pentecostes unum modo diem habeat, septem tamen habere censebatur, quibus

quibus aliquis illa Sacrificia offerre poterat, *Moed katon. 111: 6. Chagiga. 1: 6.* Nulla mensura his Sacrificiis erat praescripta. *Deut. 16: 17. Pea. 1: 1.*

§. III. Dies
in his mi-
nus festi.

III. Erant in his festis quidam dies *minus festi*, scilicet inter primum & ultimum intermedii, quorum tanta non erat sanctitas, quanta aliorum, quique nomine *חול מועד & מועד קטון*, *ἑορτῆς με-
σχῆς Job. 7: 24.* veniunt. His offerebantur Sacrificia *נדבה & נדרים. Chagiga. 1: 3.* Nonnulla opera quae incepta erant & vitium contraherent, ni perficerentur, iis licuit absolvere. *Sota. 1x: 10.* Licebat etiam opera facere, quorum omissio damnum inferret, & quae ad publicam utilitatem spectant, uti sepulcra calce signare, ne quis inscius iis pollueretur (quae *Matth. 23: 27. τάφοι κεκονιαμένοι* appellantur, quaeque, calce deleta per succrescens gramen aut alio modo, apparent instar terrae purae, quum sepulcra sint transeuntes contaminantia) irrigare agrum siticulosum, si absque magno labore fieri possit, & similia, de quibus vide *Moed katon.* At dies *maxime festi* erant sex, quibus omne opus, excepto illo quod ad cibi praeparationem pertinet, erat interdictum, secundum *Exod.*

12: 16. Nam si instituta esset עירוב תבשילין *mixtura ciborum* die festum antecedente, id est, בערב יום טוב, tunc licebat die festo coquere & assare: qua in re ימים טובים a Sabbatho distinguebantur. vid. *Gem. Hier. Fevamoth. 8. 4.* Hi dies sex erant primus dies Paschatis & septimus: primus festi Tabernaculorum & octavus, dies Pentecostes, & primus dies mensis Tisri. Hi appellantur proprie ימים טובים *dies boni*, id est, *festi*, uti apud Plautum *dies bonus*, & *bona verba* & καλὰ ἡμέραι pro festis, & de his agitur in Codice *Betza.* Sed aliquando nomen ימים טובים latius patet, uti quum in *Gem. Schabbath. 21. 2.* octo dies Encoeniorum ita appellantur, & in *Gem. Pesachim. 47.* & *Echa rabbati 60. 1.* שני ימי יום טוב של רה' duo dies festi novi anni. Confer *Taanith. 1v. 8.* ubi legitur non fuisse ימים טובים Israëlitis, quales dies 15 Ab & dies expiationis.

IV. Graeci festos dies ἑορταὶς dixerunt, ἡμέρας πανηγύρεως, & κλητὰς ἀγίας: quae tamen nomina modo latius, modo minus late, patent. Nonnunquam vero vox ἑορτὴ diem 15 Nisan notat, qui אָחַד dicitur. *Num. 28: 16. 17.* die 14 primi mensis erit פֶּסַח קַרְבָּן, & die 15 ἑορτή. Quare

§. IV:
Graeca festorum nomina.

Dd

dies

dies 14 Nisan, quo Pascha maclabatur a Christo comedendum, erat hoc sensu πρὸ τῆς ἑορτῆς ante festum. *Joh.* 13: 1. id est, ante diem 15: & coena Paschali peracta, ac Juda abeunte, putabant Christum ei dixisse, *Eme, quae nobis necessaria sunt ad festum*, εἰς τὴν ἑορτήν. sc. ad solemnitatem diei 15, qui אֵת, ἑορτή, erat. Aliquando & illos dies, qui festi ipsis habebantur, ἡμέρας μεγάλας appellabant. Ita *Johan.* 7: 37. postremus dies festi Tabernaculorum magnus dicitur ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῆς μεγάλης τῆς ἑορτῆς & *Joan.* 19: 31. ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τῆς Σαββάτου, quia incidebat in diem 16 mensis Nisan (quod Judaei dicerent שֶׁשֶׁת יָמֵי חַמִּשָּׁתַּיִם בְּשַׁבָּת. vide *Pesachim.* VII. 10.) quo manipulus meti & offerri debuit, & is dies jura Sabbathi pellebat. Vide *Menachot.* x. 1. Fiebat autem id magna cum solemnitate, & publice rogabatur אֲנִי חַמִּשָּׁתַּיִם בְּשַׁבָּתוֹ? sc. metam, & respondebant: *hoc Sabbatho.* ibid. x. 3. Praeterea ab hoc die supputatio Pentecostes sumebat exordium.

§. V. Portiones Ephemerialium in tri-

V. Tribus hisce festis majoribus aequalis portio ex Sacris ad omnes Ephemerias 24 perveniebat, ex Sacrificiis festorum &

& panibus facierum. At ephemeria mi- bus festis
 nistrans, cujus vices erant ea hebdomade majoribus:
 sacris operari, offerebat Sacrificia coetus,
 uti juvencum a coetu ob errorem offeren-
 dum. *Succa*. v. 8. Quod si יום טוב Sab-
 bathum proxime antecederet vel sequere-
 tur, in distributione panum facierum
 omnes ephemeriae quoque aequales erant.
 Alias panes dividebant inter se epheme-
 riae accedens & recedens, illa ad septen-
 trionem, haec ad meridiem atrii, excepta
 sola ephemeriae Bilgae, (quae i *Chron.*
 24: 14. ordine quinta & decima numera-
 tur) ob facinus Mariae filiae Bilgae, quod
 narratur in *Gem. Succa* 56. 2. cujus pro-
 inde annulus etiam fixus in loco maeta-
 tionis ab utraque parte manebat, sic ut ea
 maetatura aliarum ephemeriarum annulis
 uti debuerit, & cista vestium fuerit oc-
 clusa.

VI. Mensis, qui proxime praecedebat §. VI. Men-
 unumquodque ex tribus his festis, dicitur sis tria fe-
 a Judaeis destinatus fuisse exponendis fe- sta praeece-
 sti secuturi ritibus. *Gem. Megilla*. 29. 2. dens.
Gem. Schekalim. 5. 1. *Gem. Becoroth*. 58.
 1. *Gem. Rosch hasschana*. 7. 1. Praeterea
 solebant die 15 Adar, id est, spatio men-
 struo ante Pascha, pontes, plateas, vias

aliaque restituere in usum adscendentium ad Pascha, potare mulieres adulterii suspectas, vaccam rufam comburere, aures seravorum terebrare, saxa a puteis amovere, & sepulcra calce pingere. Sepulcra talia calce superfusa notata *τάφοι κεκολλημένοι* in sacris literis appellantur: quod si calx non appareret iis qui illac iter facerent, homines, ignorantes ibi sepulcrum esse, & transeuntes quasi per locum purum, polluebantur. Coemiteria quidem erant cadaveribus condendis extra urbes destinata: poterant tamen etiam alibi cadavera esse sepulta. Hanc enim unam ferunt ex decem constitutionibus Josuae, ut *מת מצוה*, id est, cadaver hominis insepultum, in agro conspectum, sepeliretur vel eo loco quo jaceret. vide *Gem. Bava kama. 79. 2.* Dies hujus mensis medius, sive decimus quintus ante festum, si Pascha sequeretur, *פרום הפסח* dicebatur, si festum Pentecostes *פרום עצרת*, si festum Tabernaculorum *פרום החג*. Qui tres dies quotannis insignes erant decimatione pecudum tunc instituenda & collectione Siclorum, de qua vide *Sche-kalim. III. i.*

§. VII. Di. VII. Praeter haec tria Festa majora dicta

dicta **רגלים** alia erant, quorum nonnulla visio festos sunt ab ipso Deo instituta, uti dies Expiationis, Festum novi anni, Novilunium, Sabbathum, Anni Sabbathici & Jubilaei; aliqua a Judaeis, uti festum Purim, Encoeniorum, &c. de quibus nos suo loco breviter agemus. rum in speciebus.

C A P. I V.

De Paschate & festo Azymorum.

I. **P**ascha, פסחא, vel פסח, Graecis **§. I. Pascha**, **Πα**σχά, & **Ἰ**σχυρία, transitum notat, & nonnunquam festum in memoriam transitus Angeli *Exod. 12.* institutum, aut quandoque ipsum agnum, die 14 mensis Nisan mactandum. *Ezr. 6: 20.* פסח הוא *Exod. 12: 11.* I *Cor. 5: 7.* Simili loquendi modo utuntur hodieque Judaei patres familias in coena Paschali de pane azymo, quem elevant, dicentes **הא לחמא דעניא די אכלו אבהתנו בארעא דמצרים** *Hic est panis afflictionis, quem comederunt patres nostri in Aegypto: unde illustratur formula coenae Dominicae. Matth. 26: 26.*

II. Pascha quoque **§. II. Fe-** εορτή των αζύμων, **Fe-**

stum Azy-
morum.

vel Ἀζυμοφασιῶν, ΠΙΣΤΗ ΑΠ festum Azy-
morum dicitur, quia ei quali immixtum
est, (συνάπτεται τοῖς διαβατηρίοις ἑορτῇ, Ἀζυ-
μα, uti Philo loquitur *lib. de festis pag.*
1190.) & cum agno Paschali panes azy-
mos comedebant, *Luc. 22: 1. Marc. 14:*
12. quamvis nonnulli id distinguant, uti
& distinguitur *Ezr. 6: 20. & 22.* & in
Chronico Alexandrino *pag. 227.* Ἐκείνην
τὴν ἡμέραν μόνην Πάσχα οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ προ-
σηγόρευον, τὴν δὲ ἰεὶ καὶ τὰς μετ' αὐτὴν 5'
ἡμέρας ἑορτὴν Ἀζύμων, quia *Levit. 23: 5. &*
6 legitur: *die 14 inter duas vespervas est*
Pascha Domino: Et die 15 est festum azy-
morum. Hoc nomen autem convenit huic
felto, quod per septem dies (*Deut. 16:*
8. est sex, omisso primo quem Hieroso-
lymis transigebant *comm. 7.* vel quo ex pro-
ventu anni elapsi comedebant, reliquis sex
diebus comesturi de proventu novo anni
hujus) panibus infermentatis vesci debe-
rent, a die 14 Nisan usque ad 21. *Exod.*
12: 18. Num. 28: 17. sic ut dies 15 Nisan
fuerit primus azymorum, in cujus nocte
agnum Paschalem & panes azymos come-
derunt.

§. III. An III. Quum autem *Matth. 26: 17. &*
dies 14 *Marc. 14: 12.* ipse dies 14 Nisan appella-
tur

tur primus dies azymorum, intelligendum Nisan sit
 id est secundum canonem Judaeorum mox primus
 traditum, scilicet in Sacris comedendis diem azymo-
 praecedere noctem; sic ut tempus vesper- rum.
 tinum diei 14 & nox subsequens hoc mo-
 do diei 14 accenseantur. Vel dies 14 ap-
 pellatur πρώτη τῶν ἀζύμων, id est, πρώτε-
 ρα, dies scilicet antecedens τὰ ἀζύμα
 (nam τὰ ἀζύμα hoc festum nuncupatur
Marc. 14: 1.) uti *Job.* 1: 30: πρώτος μὲν
 est πρότερος, & *Luc.* 2: 2. πρώτη ἡγεμο-
 γεύοντος, id est, antequam Quirinius prae-
 esset. Quomodo & שבתון Hebraeis acci-
 pitur pro die qui est לפני השבת *ante se-*
ptem. vid. & *Job.* 15: 7. Nam alias cer-
 tum est diem 15 Nisan primum azymo-
 rum a Judaeis appellari. Sic olim Jose-
 phus, δευτέραν τῶν ἀζύμων esse ἑκτὴν καὶ δε-
 κάτην, diem 16 Nisan. *lib.* III. *Antiq.*
cap. 10. & ibidem. Πέμπτη δὲ καὶ δεκάτη
 διαδέχεται τὴν τῆς Πάσχα, ἢ τῶν Ἀζύμων
 ἑορτή. *Dies* 15, *scilicet festum azymorum sequi-*
tur diem Paschatis. Hodie quoque in Ephe-
 meridibus suis Judaei notant ad diem 14
 Nisan, esse ערב הפסח *vesperam Pascha-*
tis, (ערבת פיסחא) appellatur in *Mi-*
dras Ruth 46. 4.) ad diem 15, יום א'
 הפסח *diem primum Paschatis*: ad 16,
 יום

יום שביעי של פסח, & 21, יום ב' דפסח
diem septimum Paschatis. Sic in *Midrasch*
Coheloth, fol. 118. 3. ימי הפסח. 3. septem
 dies Paschatis.

§. IV. Di-
 visio Pa-
 schatis in
 species.

IV. Pascha distinguitur in Primum,
 die 14 Nisan celebrandum, & Secundum
 quod & Parvum dicitur. *Challa* 1. 11. *Mi-
 drasch Megillath Esther. 132. 2.* quodque
 in diem 14 mensis sequentis, Ijar scilicet,
 incidit. In utroque agnus affatus cum
 oleribus amaris & pane azymo comede-
 batur: in utroque ad pernoctationem Hie-
 rosolymis tenebantur (disputatur tamen
 sitne ea nox qua agnus comeditur, an ve-
 ro sequens) utrumque pellebat jura Sab-
 bathi: in utriusque immolatione cantaba-
 tur hymnus: sed inter comedendum non
 canebatur hymnus in secundo; & omne
 fermentum aboleri non debuit ante, &
 aliquam partem agni ex societate efferre li-
 cuit, nec conjunctum habebat Sacrificium
 הגיגה. Secus itaque se res habebat ac in
 Paschate primo, ut Rabbanitae tradunt.
 Karaei has differentias ignorant. *Num. 9:*
12. Pesachim. 1x. 3. Porro aliud est Pa-
 scha Aegyptiacum, celebratum 1. ita ut
 agnus die 10 separaretur. 2. Sanguis ejus
 fasciculo hyssopi limini & duobus postibus
 ab-

adspergeretur, sic ut quasi trium altarium
 speciem haberent (מִזְבְּחוֹת הָיוּ בְּמִצְרַיִם)
 (על המשכוף ועל שתי מזוזות) *Gem.*
Pesachim. 96. 3. Adeps in altari non com-
 bureretur. 4. Puri & impuri eo vesceren-
 tur. 5. In festinatione 6. Sine hymno.
 7. Sine panegyri, 8. In loco profano.
 Haec aliter se habuerunt in Paschate Hie-
 rosolymitano, uti sc. stante Templo ce-
 lebratum fuit. Praeterea Hierosolymita-
 num differt ab eo, quod nunc, everfa
 Urbe, celebrant, quod olim 1. captivus
 dimitteretur in memoriam exitus e servi-
 tute Aegyptiaca *Matth.* 27: 26. quem mo-
 rem alii a Lectisterniis Romanorum deri-
 vant. Verum id minus probabile est 1.
 quod Judaei illo tempore ritus hos idolo-
 latricos non admisissent. 11. quod Pilatus
 Christum cum Barabba simul dimisisset li-
 berum, quoniam non unum sed omnes
 captivos e carcere dimittere solebant in Le-
 ctisterniis Romani: certe hoc fecisset Pi-
 latus, qui studebat Christum dimittere.
 3. quia Pilatus dicit, *vos habetis consuetu-
 dinem*, non nos, aut Romani. 111. quod
 Agnus mactaretur comedereturque.

V. An Pascha pelleret Sabbatum, דְּיוֹהָה §. 5. Num
 השבת, uti Judaei loquuntur, id est, an Pascha ce-

dat Sab-
batho.

ceremoniae Paschales rite peragi deberent etiamsi dies mactandi agni, id est, dies 14 Nisan, incideret in Sabbathum, disputatum olim fuit inter Judaeos. Verior sententia & recepta quoque in populo Judaico est quae affirmat, quum Pascha sit festum alligatum a Deo tempori suo, *במקומו*, qualia festa a tempore suo dimoveri non potuerunt. Sic circumcisio pellit Sabbathum, quia die octavo peragi debuit: si itaque die nono fuisset peracta ob Sabbathum quod erat die octavo, satis factum haud fuisset mandato Dei, qui die octavo, non nono aliove, eam institui iusserat. Sic sacrificium jure pellebat Sabbathum, & hac argumentatione olim usus fuisse Hillel dicitur, quum filii Betirae de hac re dubitarent, qui praeterea auctoritate magistrorum suorum Schemaiae & Abtalionis, a quibus ita fieri oportere acceperat, confirmavit hanc veritatem, Pascha pellere Sabbathum. *Gem. Pesachim. 33. 1. & 66. 1.*

§. VI. Co-
mestio pa-
num azy-
morum.

VI. Ad tria praecipue capita referri ea possunt quae in hoc festo observanda sunt, panes scilicet azymos, agnum Paschalem, & manipulum hordeaceum. Panes azymi jussu Dei comedendi fuere per septem dies

dies a die 14 Nilan usque ad 21. Fermentum omne debuit summa cura aboleri (in cujus inquisitionis tempore, modo, & personarum ad hanc rem delectu multi sunt Judaei. Vide *Pesachim*. 1. & 11.) ante diem 15 Nisan, nec a meridie diei 14 (ita definiverunt sapientes: confer Suidam ad vocem Ζύμη) deinceps comedere fermentatum licuit. Vide *Deut.* 16:4. *Exod.* 12: 19. Hinc lucem accipit 1 *Cor.* 5: 7. Nocte autem diei 15 Nisan (quae dicitur ליל יום טוב הראשון של פסח in *Echa rabbat*. 55. 4.) panis azymus comedendus erat, etiamsi tantum quantitate olivae. *Challa*. 1. 2. & memorari a Patre familias exitus ex Aegypto, quatuorque pocula vini (dicta ארבעה כסי דפסחא in *Gem. Nedarim* 49. 2.) exhibi ab unoque, etiamsi esset Israelitarum pauperrimus, & ea quidem, aqua mixta, quorum tertium כסא דברכה *calix benedictionis*, (confer 1 *Cor.* 10: 16.) dicitur, & inter quae הלל sive *Hymnus Psal.* 113-118. recitatur. Hymnus ille canitur 18 diebus in anno & nocte una, scilicet 8 diebus festi Tabernaculorum, 8 diebus Encoeniolorum & יום ט' Pentecostes, & primo יום טוב Paschatis, & nocte ejus. *Gem. Hier.*

Succa.

Succa. 54. 3. Post illa quintum bibi poterat, si quis Hymnum majorem recitare vellet, id est, *Psal.* 120-137. uti dicitur *Gen. Pesachim.* 118. 1. Cum pane azymo etiam olim ut nunc חרסת pulmentum in memoriam luti Aegyptiaci appositum fuisse volunt.

§. VII.
Agni Paschalis.

VII. Leges autem quae agnum Paschalem spectant, a Judaeis ad haec 16 capita referuntur, quae nos singula eo ordine quo nobis praeceunt, prosequemur (licet ad pauciora referri commode potuissent) ut eo facilior sit scriptorum Judaïcorum intellectus, in quibus hic ordo observatur, quoniam ii singula praecepta & interdicta (מצות עשה & לא תעשה) diligenter solent distinguere, & certum eorum numerum jam olim constituerunt, qui nunc haud ita facile mutari posset, auctoritate magnorum nominum & longo saeculorum intervallo stabilitus.

I. Agnus Paschalis suo tempore mactetur, sc. die 14 Nisan, inter vespers duas post sacrificium jуге. Vide quae nos de illo diximus Part. III. Cap. 6.

II. Ne mactetur ab eo, in cujus aedi-

aedibus aliquid fermenti invenitur *Exod.* 23: 18.

III. Ne ablegmina ejus pernoctent semota ab altari. *Exod.* 23: 18.

IV. Pascha secundum celebretur mense secundo, quod est institutionis Divinae *Num.* 9: 10. propter pollutos aut illos qui ob viae longinquitatem primo Paschati interesse non poterant. Hoc פסח קטון & פסח שני appellatur. Differentias, quae inter hoc sunt & Pascha primum, vide *Pesachim.* ix. 3. Ad hoc non obligari mulieres volunt Rabbanitae, nec pueros. *Challa.* iv. 11.

V. Caro agni vel corpus, uti Judaei loquuntur, (גופו של פסח, *Pesachim.* x. 3.) nocte 15 Nisan comedatur cum pane azymo & oleribus amaris *Exod.* 12: 8. *Pesachim.* v. 6. Mulieres aequae ac viros ad hoc admittunt Rabbanitae. *Pesachim.* vii. 11. sed viri tenentur, (est חובה) mulieres non tenentur, (est רשות) si velint licet iis adscendere Hierosolymas & Pascha celebrare. *Gem.*

Pe-

Pesachim. 91. 2. Gem. Hier. Kidduschin. 61. 3. Karaei solos admittunt viros adultos.

VI. Pascha secundum quoque cum pane azymo & oleribus amaris comedatur. *Num. 9: 11.*

VII. Ne subcruda vel elixa sed affata caro comedatur. *Exod. 12: 9.*

VIII. Ne quicquam carnis agni extra societatem convivarum sive חבורה deportetur. *Exod. 12: 46.* Nam Pascha κατά Φρατρίας celebratur, uti Josephus loquitur *Antiq. lib. 111. 10.*

IX. Ne de ea quicquam comedat Apostata. *Exod. 12: 45.*

X. Ne profelytus inquilinus aut mercenarius. *Exod. 12: 45.* Nam profelytus justitiae eodem die quo factus erat profelytus, secundum Schammaeanos טובל ואוכל lavat se & comedit Pascha vesperi: sed Hilleliani dicebant, qui se a praeputio separat, est ac si a sepulcro se separaret. *Pesachim. VIII.*

XI. Ne incircumcisus. *Exod. 12: 48.*

XII. Ne os agni aliquod frangatur. *Exod.*

Exod. 12: 46. *Job.* 19: 33.

XIII. Nec in Paschate secundo. *Num.*

9: 12.

XIV. Ne quicquam agni relinquatur
ad crastinum mane. *Exod.* 12: 10.

XV. Nec in Paschate secundo. *Num.*

9: 12.

XVI. Ne quid supersit ad mane de car-
ne Sacrificii die 14 oblatis. *Deut.*
16: 4. id est, uti quidam expli-
cant, ad mane diei decimi sexti:
nam quia erat sacrificium saluta-
re, comedebatur intra dies duos
& noctem unam.

VIII. Manipulus ex hordeo עומר di- §. VIII.
tus metebatur die 16 mensis, qui inde יום Oblatio
הנף *dies agitationis* sc. manipuli dicitur, manipuli.
Succa. 111. 12. יום קציר & העומר *Midrasch*
Ruth. 47. 1. πανήγυρις ἐστὶ τῷ δράγματι
Philoni, vel potius ipsa nocte, ineunte
sc. die 16. Ideo in *Gem. Rosch hasschana.*
7. 2. dicitur diem 16 Nisan esse initium
anni respectu manipuli ששה עשר בניסן
לעומר : ראש השנה לעומר si-
ve manipulus Paschalis permittebat no-
vum proventum ad usum במדינה, ita
duo panes Pentecostales במקדש in Tem-
plo

plo permittebant, ut scilicet ferta ex novo illius anni proventu offerrentur. Et hinc est quod Josephus narrat *Ant.* 111. ult. fame urgente maxima, licet cori septuaginta farinae allati essent, neminem sacerdotum micam comedisse quia panes Pentecostales demum proventum ejus anni permittebant in Templo. Utrumque & manipulus Paschalis & panes Pentecostales, ex proventu novo illius anni & quidem ex terra Sancta offerri debuere. *Gem. Hier. Schekalim.* 6. 2. Hae erant primitiae messis, רשית קציר *Lev.* 23. 11. *Challa.* 1. 1. ante quarum agitationem solemnem & oblationem falx in segetem quinque rerum tritici, hordei, speltae, avenae, & secalis (vid. *Challa.* 1. 1.) immitti non debuit. Jerichuntini tamen leguntur messuisse ante oblatum manipulum, & sapientes hoc improbasse. Fiebat illud maxima cum solemnitate, & cerimoniae ipsae, Christum captum & patientem clarissime adumbrantes, merentur breviter notari ex *Menachot.* x. 3. Delegabantur circa finem diei 15 Nisan aliqui a Synedrio Magno, qui Hierosolymis egressi cum corbe & falce, trajecto torrente Kedron, in agro vicino, & Hierosolymis,

quan-

quantum fieri poterat, proximo partem hordei, aere publico emtam (*Schekalim* iv. 1.) demeterent. Nocte ipsa ingruente, a qua dies 16 initium capit, aliquis ex iis rogabat, **בַּיָּמֵי הַשְּׁמֶשׁ** occiditne Sol? cui alii respondebant **הֵיךְ** ita est. Atque ita ter rogabat, ter responsum tulit. Dein ter, **וְאוֹ מִגֵּל** an hac falce? Responderunt **הֵיךְ** Ita: quae cum ter rogata essent, ter ad ea responsum, pergebat, **וְאוֹ קוֹפֵה** an hoc corbe? & dein **אֶקְצוֹר** *Metamne?* ad quae singula quum **הֵיךְ** respondiissent, metebatur manipulus & ad Sacerdotes deferebatur in atrium, qui illum igne tostum, in vase undique perforato, **אֶבֶב** dicto, vento expositum in Atrio, & mola contusum cribarunt 13 vicibus, donec decima pars Ephae floris farinae inde educeretur (*Menachot.* v 1.6.) quae oleo & thure addito rite agitata & adducta, pugillo inde exemto & combusto in altari, comedebatur a Sacerdotibus. Confer *Joseph. Antiq.* 111: 10 Simul cum eo agnus offerebatur in holocaustum, addito ferto & libamine suo *Lev.* 23: 10.

IX. His omnibus constitutis sequitur, §. IX. Christatum fuisse diem 14 mensis Nisan, praestus eodem ter quem Pascha immolari nec debuit, die Pascha

E e

nec

edit cum
Judaeis.

nec potuit; Quid? quod in Atrio Tem-
pli, non alibi, agnum Paschalem maeta-
ri potuisse Judaei Rabbanitae omnes uno
ore tradant, & Karaei hoc ipsum confir-
ment. Sic ut omnino Christus Paschatis
tempus non anticipaverit, sed Pascha suum
ultimum eodem die cum Judaeis come-
derit, (adeoque usus fuerit in S. Coenae
celebratione pane azymo, quod & ecclesia
Romana contra Graecam tuetur) id est, die
ineunte 15, & eodem crucifixus sit, qui
erat simul προάβατον, quum dies 16 Ni-
san Sabbathum fuerit, quem diem Chri-
stus in sepulcro transegit. Quod si Christus
contra communem morem Judaeorum ag-
num suum aut maetasset aut comedisset illo
tempore quo reliqui Judaei Pascha non ce-
lebrabant, quis dubitat quin Judaei hoc ip-
sum ei vitio vertissent, & inter alia tan-
quam praecipuum hoc objecissent quod
ea ipsa nocte contra Legem Mosis (quam
utique se sequi credebant) Pascha cum
discipulis suis celebrasset? Atqui ne γρη
quidem coram Pilato hac de re memorant,
quum tamen speciosum hoc fuisset, & ipsi
causas Christum accusandi undique con-
quirerent. Conferantur in hanc rem
Matth. 26. 17. Marc. 14. 12. Luc. 22. 7.
ubi

ubi Pascha Christi praeparatum dicitur die illo, quo Pascha maſtari solebat & debuit, id est, die 14; πρώτη τῶν ἀζύμων, ὅτε Πάσχα ἔθνον, & ἐν ἣ ἔδει θύεσθαι τὸ Πάσχα. Haec pars diei 14 appellatur primus dies azymorum, quia in sacris comedendis, ut ante monuimus, dies praecedit noctem; quum alias a nocte diem 14 sequente proprie dies primus azymorum incipiat. Vel πρώτη dicitur veluti πρωτέρα. vide supra.

X. Atque ita Christi Pascha maſtatum est eodem die hebdomadis, id est, die quinto (quem Latini diem Jovis dicunt) id est, die 14 Nisan, quo olim Israëlitae ex Aegypto egressi sunt, qui die 14 Nisan Pascha maſtarunt, die 15 comederunt & egressi sunt ex Aegypto, qui dies erat dies hebdomadis sextus, sive dies Veneris, secundum Judaeorum testimonium, in *Gem. Schabbath*. 88. 1. *Seder olam rabba* c. 8. בחמשה עשר יצאו ואותו היום ערב שבת היה. Atque eodem illo die 15 Nisan, quo Christus mortuus est, Deum foedus pepigisse cum Abrahamo inter caesas victimas, Angelos nunciasse Abrahamo Isaaci conceptum, natum esse Isaacum, & Israëlitas egressos esse ex Aegypto, tradunt Judaei, *ibid.* in *Seder olam rabba*.

§. X. Et quidem die Jovis.

§. XI. Ob-
jectiones
repellun-
tur.

XI. Tria tamen sunt quibus huic sententiae praecipue occurrunt, ex Evangelio Johannis petita. Primo, quod *Johann. 13. 1.* coena Christi Paschalis dicitur celebrata *πρὸ τῆς ἑορτῆς ante festum, vel ante diem festum Paschae*, uti Interpres vulgatus reddit. Quidam respondent, non dici, Christum ante festum edisse Pascha, sed scivisse horam suam prope esse; alii *ἑορτὴν festum* Paschatis proprie circa mediam noctem diei 15 demum incepisse, quando Angelus *ΠΩΔ* transiit aedes Israëliitarum *Exod. x1. 4.* & hanc coenam ante illud tempus celebratam fuisse, tempore tamen legitimo & eodem cum Judaeis. Alii negant illic de coena Paschali agi, sed eandem innui volunt quae Bethaniae habitata fuit, jubentque conferri *Luc. 23. 3.* & *Joh. 13. 27.* Alii denique dicunt *πρὸ τῆς ἑορτῆς* ita festum praecessisse ut simul pars festi esset, uti *πρόγλωσσις* dicitur pars linguae anterior. Sed nos per *ἑορτὴν* intelligimus solennitatem diei 15, *אֵת* dictam, *Num. 28. 17.* ubi Graeci Interpretes habent *ἑορτή*. Ita quoque in *Germ. Rosch haschana 4. 1.* legitur die 15 Nisan esse festum, *בטו' בניסן הוא*, scilicet *לגל* unum e tribus, quod *Deut. 16. 16.* *אֵת המצות*

תמצות nuncupatur. Atque ita פסחא si-
 ve Pascha septiduum durare dicitur. *Pesachim.* 1x. 5. Secundo, quod *Johann.* 18.
 28. post coenam Paschalem Christi no-
 cte praecedente habitam Judaei dicant, se
 debere comedere Pascha. Verum Pa-
 scha non semper agnum Paschalem no-
 tat, sed sacrificia solennitatis *Deut.* 16. 2.
 3. & *2 Chron.* 35. 8. 9. Ita in *Gem. Zeva-*
chim. 99. 2. & in *Gem. Rosh hasschana.* 5. 1.
 rogant, quid appelletur Pascha, פסחא
 & respondent פסחא שלמי Sacrificia sa-
 lutaria Paschatis, id est, Sacrificia Chagi-
 gae diei decimi quarti, quae si numerosa
 esset societas illorum qui agnum Paschalem
 simul edere constituerant edebantur, &
 quidem spatio duorum dierum & noctis u-
 nius, uti omnia salutaria. *Pesachim.* vi. 4. Qui
 panem azymum comedit, dicitur illa co-
 mestione Pascha celebrare, & ita invitant
 convivas hodie ad panem, *edat quisque pa-*
nem, veniat, פסחא & Pascha celebret.
 Tertio urgent diem crucifixionis Christi
 dici παρασκευὴν τῆς Πάσχα, *Joh.* 19. 14.
 praeparationem Paschatis, sive diem ante-
 cedentem Pascha: sed παρασκευὴ tantum
 respectu Sabbathi dicitur: quapropter *Marc.*
 15. 42. explicatur vox illa per προσάββα-

τον, eaque appellatur παρασκευὴ Paschatis, quod in diem primum festi Paschatis incidere, uti eadem παρασκευὴ τῶν Ἰσδαιῶν *Joh. 19: 42.* dicitur, (quod Judaeorum traditiones huic diei ob incidens Sabbathum aliam formam darent, permittendo ea coquere in hoc יום טוב quae sequenti die, Sabbatho scilicet, erant comedenda, quum alias in יום טוב edenda illo die, non sequenti, comedere liceret) & παρασκευὴ nulla voce addita, vel παρασκευὴ Sabbathi. *Joh. 19. 31. Luc. 23. 54. Matth. 27. 62.* Quod si notetur vocem παρασκευὴ usurpari veluti nomen proprium diei sexti, sive Veneris, quemadmodum עירובתא in Talmude, facile intelligetur cur dicatur vel τῆ Πάσχα, quum in Pascha incidat, vel τῶν Ἰσδαιῶν.

C A P. I V.

De Festo Pentecostes.

§. I. No-
mina.

I. **F**estum alterum ex tribus majoribus, institutum in memoriam datae Legis, & oblationem Primitivorum, appellatur חג השבועות *festum hebdomadum*, quia septem hebdomades numerandae

randae erant a die oblationis manipuli Paschalis ad hunc diem festum, חג הקציר, *festum messis*, scilicet triticariae, quae superior erat messe hordearia, & messis ἀπλῶς dici solet (*Nedarim. viii. 4.* Sed R. Samuel bar Nachman in *Midrasch Ruth. 47. 2.* putat tam de messe hordearia quam de triticaria accipi posse, קציר סתם משמש (לכאן ולכאן) finemque habebat circa diem 15 mensis *Tammuz. Midrasch Ruth. 49. 4.* & יום הבכורים *dies primitivorum. ἑορτὴ πρωτογεννημάτων Philoni, lib. de festis, pag. 1192.*

II. In Misna *Erachin. ii. 3.* & nunc §. II. Cur vulgo nomine חצרת indicatur, quod in ^{dicatur *Atzereth.*} *Sacro Codice* de die 7 Festi Paschatis & octavo Tabernaculorum, nunquam de Pentecoste, usurpatur, *Deut. 16. 8. Levit. 23. 36.* & apud Josephum Ἀσάρθᾱ (חצרת, in *Midrasch Cobelech. 110. 2.*) ὁ σημαίνει Πεντεκοστήν. Sunt qui rationem nominis חצרת petant a convocatione solenni, vel interdictis operibus ordinariis, vel retentione fructuum: sed videtur potius ita dici quasi *clausula* vel *conclusio*, respectu scilicet Paschatis, a cujus die secundo, id est, die sexto & decimo mensis Nisan usque ad Pentecosten jubentur numerari dies 49, sicut

ea quae ad Pascha pertinent hoc demum die finem omnino adipiscantur. Hinc est quod Pentecoste appelletur עֲזָרַת שֶׁל פֶּסַח *Azereth Paschatis*, uti dies oct vus festi Tabernaculorum עֲזָרַת שֶׁל חַג אֲזֶרֶת פֶּסַח *Azereth festi tabernaculorum*, in *Midras schir hasschirim*. 36. 1. ubi etiam disputatur quam ob rem עֲזָרַת שֶׁל פֶּסַח absit a Paschate 50 dies, עֲזָרַת שֶׁל חַג vero cum ipso festo tabernaculorum arcte jungatur; ne scilicet, si hoc quoque per 50 dies differretur, incommodum esset iter hyemali tempestate. Huc etiam facit quod Philo Pascha & Pentecosten ita jungat, *lib. de festis*, ut *pag. 1129*. scribat diem secundum Paschatis, sive diem manipuli, προέορτον esse ἑτέρας ἑορτῆς μείζονος, id est, praecedere alium diem festum majorem, nempe Pentecosten, quae, numero ducto a secundo die Paschatis, die 50 post illum celebratur: 49 dierum numerum obsignante unitate, ἐπισφραγιζομένης μονάδος. Scilicet hic dies unus obsignat & claudit illorum 49 dierum numerum, qui a secundo die Paschatis effluxerunt. Quid? quod idem hic dies claudat & obsignet omnes dies festos totius anni, quoniam ἡ τῶν σκηνῶν ἑορτὴ τῶν ἑτησίων ἑορτῶν συμπέρασμα

πέρασμα ἐστὶ, uti Philo scribit *lib. de festis.*
pag. 1174. & dies octavus festi Taberna-
 culorum ἐξόδιον, id est, תצו appella-
 tur non tantum illius festi sed omnium to-
 tius anni ἢ ἐκείνης μόνον τῆς ἑορτῆς ἀλλὰ
 πασῶν τῶν ἐτησίων. Idem *ibid pag. 1196.*

III. Incidebat illud in diem quinquagesimum a die 16 Nisan, uti Rabbanitae volunt, id est, *septem hebdomades integras*, שבע שבטות תמימות intercedere debebant inter Pascha & Pentecosten, nec vices ephemeriae nonae aut decimae, sive *Feschua* & *Schecanja*, inter haec esse debebant בומן שאין ישוע ושכנייה ביניהם, uti traditur in *Midrasch Cobeletb.* 87. 2. Ab hoc die 16 Nisan, sic ut ille esset primus dierum supputandorum, dies numerare jubentur Judaei, quem in finem formulas habent typis expressas, dictas סדרי הספירה פסח quibus singulis diebus in precibus vespertinis utantur, diem illum qui incipit ita numerantes, verbi causa, diem 40 ארבעים יום שהם חמשה שבועות וחמשה ימים בעומר *dies 40 sunt, ita ut 5 hebdomades & 5 dies elapsi sint post oblationem manipuli.* Atque adeo hoc anno 16 Nisan nobis est 6 Aprilis, & prior dies Pentecostes 6 Sivan, & 25

§. III.
 Tempus
 secundum
 Rabbanita-
 tas.

Maji. Nec tamen semper in sextum Sivan incidit : nam si Nisan & Ijar sint pleni, incidit in quintum mensis Sivan, si uterque cavus in septimam, si alteruter, in sextum. *Gem. Rosh hasschana. 6. 2.* Cavent autem ne hoc festum incidat in גהז *Gahaz*, id est, tertium, quintum, aut septimum diem hebdomadae.

§. IV. Secundum Karaeos.

I V. Quum vero dissentiant cum Rabbanitis Karaei in eo quod intelligi debet per Sabbathum in mandato Dei מחרת השבת *a crastina Sabbathi* numerandas esse hebdomades septem ; & illi quidem per שבת diem festum, primum sc. Paschatis, intelligant ; hi vero Sabbathum hebdomadale, sive creationis, ut vocant, facile deprehendimus alio tempore Pentecosten a Rabbanitis, alio a Karaeis, celebrari ; nisi forte Sabbathum & is dies coincidunt. Atque ita secundum Karaeos Pentecoste semper incidebat in diem primum hebdomadis. *Chagiga. 11. 4.* Sed secundum Rabbanitas in quemvis diem hebdomadis poterat incidere. Sic in *Midrasch Ruth. 46. 3.* legitur Pentecosten in diem Sabbathi incidisse, עצרת שחל להיות בשבת, alibi in / alios. Accedit, quod Rabbanitae initium numerandi faciant a ve-

a vespera & nocte, Karaei a die.

V. Unius tantum diei festum est, §. V. Cele-
 quamvis nunc, dum in exilio & locis ex-
 tra Cananaeam agunt, per biduum id ce-
 lebrent, uti hoc anno sextus dies mensis
 Sivan est יום אֲדִשְׁבוּעוֹת *dies prior festi*
hebdomadum, & septimus יום ב' *dies po-*
sterior, qui in Sabbathum incidit: & in
 Gemara *Pesachin* 52. 1. memoratur יום
 טוב שני של עצרת. Adde *Gem. Rosch*
hasschana 5: 1. Et olim quidem cum Sa-
 crificiis (vide supra c. 1.) *Panes duo*, שתי
 הלחם κατ' ἐξοχήν dicti, ex novo proventu
 tritici illius anni offerebantur, fermentati,
 non velut ante ex hordeo, quum Aegy-
 pto primum egressi sine cognitione & Le-
 ge essent instar pecudum, (uti scribunt Ju-
 daei) sed postea Lege & scientia a Deo do-
 nati. His oblatis licebat demum ferta ex
 proventu illius anni in Templum adducere.
Menachot. x: 6. Quantitas horum panum in
Menachot. xi: 4. ita describitur, quod longi
 fuerint 7 palmos, lati 4, & cornua habuerint
 4 digitorum, cujus rei memoriale est 'ד'ד'
 id est, 7. 4. 4. Una decima farinae adhi-
 bebatur ad panem unum. *Levit. 23: 17.*
 Comedebantur autem die secundo vel ter-
 tio a coctione. *Menachot. xi. 9. & Erachin.*

11. 2. Josephus *Antiq.* 111: 10. nihil ex
iis in crastinum diem εἰς τὴν ἐπιῤῥσσαν re-
manere debuisse scribit. Maximo denique
gaudio hoc festum agere oportuit *Deut.*
16: 11.

C A P. V.

De Festo Tabernaculorum.

§. I. No-
men.

I. **I**N Codice Sacro festum hoc אָהַל
הַסִּכּוֹת & Σκηνοπηγίας appellatur,
in Talmude saepe אָהַל אֵיפְלֹס, Philoni
ἑορτὴ σκηνῶν, (quod Hebraicum סִּכּוֹת
exprimit) nobis vulgo festum Tabernacu-
lorum vel umbraculorum, quod ex prae-
cepto Dei per septem dies in Tabernacu-
lis habitare quotannis deberent Israëlitae.
Levit. 23: 33.

§. II. Ce-
lebritas.

II. Vix aliqui dies festi tanta cum so-
lennitate & gaudio acti fuere, unde &
אָהַל κατ' ἐξοχὴν dicti & Philo ἑορτῶν με-
γίστην omnium festorum maximum nuncu-
pat *lib. de festis*, pag. 1183. Quare ad Gen-
tium notitiam prae reliquis pervenerunt
eosque in illa opinione confirmarunt Bac-
chum praecipue a Judaeis coli. Plutarchus
lib. IV. Συμπροσιακῶν cap. 5. hoc ita de-
scribit

scribit, esse *μεγίστην και τελειοτάτην παρ' αὐτοῖς ἑορτήν*, celebrari tempore vindemiae, *ἀκμάζοντι τρυγητῶ*, sub tabernaculis eos considerare *ἐκ κλημάτων και κιττῶ* potissimum textis, & in mensis varias fruges esse expositas. Tum etiam *κρατηροφόρια* & *θυρσοφόρια* celebrari paucis diebus post: id respicit libamen aquae & *לולבים*: & *σάλπιγγι μικραῖς* eos uti aliosque citharis: id ad *לילית* pertinet: de quibus supra. At quod sicut festum hoc *νησεῖαν* appellari, falsum est, nisi scripserit forte *μετὰ τὴν νησεῖαν*, quoniam quinto die post *νησεῖαν* hoc festum inchoatur: & primum diem *σκηνὴν* dici, quum continens septiduum *סוכות* sive *σκηνῶν* nomen habeat.

III. Primus dies hujus festi incidebat §. III. in diem quintum & decimum mensis Tis- Tempus.
 ri, quo die erat *שקדא קדא* *convocatio sancta*. Licet autem Deus praecipue hoc festum instituerit in memoriam commorationis Israëlitarum in tentoriis, quae diu ante mensē Tisri exordium cepit, videtur tamen differre voluisse hoc festum in haec anni tempora frigidiora, quae habitationi in tentoriis minus apta erant, ne quis hos dies in tentoriis voluptatis modo & umbrae capiendae gratia celebrari crederet,

deret, & ut singularis Dei providentia & institutum clarius in his ritibus agnosceretur. Fateor aliquando aestum insignem in Tisri fuisse, quod Judaei ipsi non negant: sed plerumque tamen jam a die 15 mensis Ab calor solis imminuebatur sic ut postea ligna caedere ad usum altaris non licuerit, quia ficcari non poterant, שהגיע חמשה עשר באב תשש כוחה של חמה ולא היו כוראין עצים למעורכה uti legitur in *Gem. Bava Bathra. 121: 2.* Postea tamen aestus aliquando urit inter frigora, uti Ovidius canit,

*Saepe sub autumnum, quum formosissimus
annus,*

*Plenaque purpureo subrubet uva mero,
Quum modo frigoribus premimur, modo
solvimur aestu,*

Aëre non certo corpora languor habet.

§. IV. Ratio institutionis.

IV. Deus ipse hanc rationem reddit instituti festi *Lev. 23.43.* ut aetates secuturae scirent Deum fecisse ut Israëlitae habitarent in tentoriis quum ex Aegypto educerentur: & ideo die 15 mensis institutum est, quia die 15 Nisan Aegypto egressi sunt, uti Hieronymus notat ad *Hof. 12. pag. 1321.* Alii addunt, quod Succoth, סכות, primus locus dictus fuerit, ad quem post

post fugam suam appulerunt, & ubi struxerunt tentoria: nec desunt qui putent in memoriam quoque Divini mandati de extruendo Tabernaculo conventus hos dies fuisse institutos, quod tempus utriusque rei conveniat.

V. Ritus praecipuus, qui hoc festum ab aliis distinguebat, erant Sacrificia offerenda, *Levit. 23: 23, 33.* & habitatio in Tabernaculis *Num. 29: 12.* Illa quidem erant, primo die festi (qui in *Menachot* appellatur יום המנוחה quod nullo die anni tot sacrificia publico nomine offerentur) 13 juvenci, 2 arietes, 14 agni in holocausta, & hircus in sacrum piaculare comedendum. Atque tot singulis diebus festi, id est septem, sacrificia offerebantur, nisi quod juvencorum numerus uno minueretur, sic ut septimo die festi offerentur juvenci 7, 2 arietes, 14 agni, & hircus in sacrum piaculare. In his offerendis omnes ephemeriae occupabantur, sic ut die primo 13 juvenci, 2 agni & unus hircus, quae sunt 16 victimae, a 16 ephemeris offerrentur; octo reliquae ephemeriae 14 agnos offerrent, sc. sex ita, ut quaelibet duos, duae reliquae, ut singula unum offerret. Secundo die 5 ephemeriae,

§. V. Sacrificia offerenda.

meriae, quaelibet duos, reliquarum quaelibet unum. Tertio die quatuor &c. Vide *Succa cap. v. misna 6.*

§. VI. Habitatione in Tabernaculis.

VI. De Tabernaculis eorumque figura & magnitudine fuse disputatur in *Succa, c. i. &c.* Verum Karaei eorum constructionem cujusvis arbitrio permittunt, quod in Lege scripta non sit definita mensura Tabernaculorum.

§. VII. Libatio aquae.

VII. Praeter hos ritus a Deo praecipuos, alios adjecerunt Rabbanitae, quos inter eminent *ניסוך המים Libamen aquae*, 7 diebus hujus festi, institutum, quo facit *Job. 7: 37.* Sunt tamen qui velint jam a Davide hunc ritum observatum fuisse *2 Sam. 23: 16.* In *Midrasch Ruth. 48: 3:* dicit Bar Caphra tunc fuisse festum tabernaculorum, & quia excelsa tunc erant licita Davidem aquam in excelsis libasse. Confer *Gem. Hier. Scheviuth. 33: 2.* ubi hic ritus a priorum Prophetarum temporibus deducitur, & *Gem. Hier. Succa. 54: 2.* ubi dicitur esse הלכה מosis a Sinai, sed quum neglectui esset data, a Prophetis post secutis revocata in usum. Sacerdos libaturus ampullam auream, צלוהית, capacem logorum trium, implebat aqua fontis Siloë. Quaerere solent Judaei (vide *Tosephot ad Succa*

Succa 48: 1.) quum canon sit in sanctis adscendendum esse semper, non descendendum, quo jure ex ampulla aurea in simpula altaris argentea aquam effuderint. Respondent 1. etiam thus panibus propositionis adpositum quod in vase aureo fuerat effundi in altare. 2. Simpula non esse vasa separata sed partem altaris. 3. Locum in quo simpula erant, scilicet altare, esse sanctiorem omnibus aliis locis in quibus ampulla fuerat. Repleta itaque ampulla per portam aquae atrium ingressus adicendebat per clivum medium ad altare, & illic se statim convertens ad sinistram foramini vel simpulo occidentaliori tempore libaminis Sacrificii jugis matutini aquam infundebat. Postquam vero sacerdos Sadducaeus, cui hic ritus nulla lege Dei praeceptus displicebat, aquam non simpulis sed pedibus suis affudisset, ipse quidem malis citreis impetebatur, & cornu altaris frangebatur, ita ut falsis quadratam molem *בול של מלה* (in *Gem. Hier. Foma* 39: 1. est *גוש של מלה*) loco cornu substituerint, ne mutilum altare appareret, ac postea clamare consuevit populus *הגבה ידיך attolle manum*, scilicet *שנראה אם תתן מים בספל*

mus an aquam infundas simpulo. Succa. IV: 9. & in Gem. Foma, fol. 26. fac. 2. Hunc ritum Rabbanitae volunt innui Jef. 12: 13. Gem. Succa. 50. 2. Midrasch Ruib. 48: 2. & potissimum spectare ad eliciendas a Divina gratia pluvias in annum sequentem, quum tempus sementis instaret. Uti manipulus Paschalis offerebatur ad impetrandum favorem Dei circa fructus agrestes, כשרות, & panes Pentecostales ad impetrandum Numinis favorem circa fructus arboreos, פירות האילן Gem. Rosh hasschana 16: 1.

§. VIII.
Laetitia
nocturna.

VIII. In Atrio quoque mulierum (alii dicunt in Atrio magno. vid. *Gem. Hier. Succa. 55: 2.*) lychnuchi aurei alti 50 cubitos (*Gem. Succa. 52: 2.*) accendebantur die primo festi post Sacrificium jure vesperinum & 6 diebus sequentibus, quibus 4 ספילים sive pelves erant impositae ad recipiendum oleum & ellychnia facta ex detritis sacerdotum braccis. Quaelibet pelvis capiebat olei logos 120, unde mirum non est quod Judaei narrant, omni atria urbis Hierosolymitanae hac luce perfusa fuisse, *Succa. v. 2. 3.* quae appellatur, נור בית השואבה *Gem. Hier. Succa. 55. 2.* quamvis alii velint unamquamque pelvin 30 logos, atque ita quatuor 120, cepisse. *Gem. Succa.*

Succa. 52: 2. Saltabant quoque illic viri faces accensas manibus tenentes, canentes & alia edentes signa laetitiae, quae in proverbium abiit. *Succa.* v: 1. dum mulieres ex Podio suo desuper spectabant.

IX. Huc quoque pertinet gestatio *אתרוג* mali citrei sinistra, & *לולב* fasciculi ramorum dextra, ex spatha palmarum una, ramis 2 salicum, & 3 myrti, confecti de quibus vide 2 *Macc.* 10: 7. Aliquando malum citreum uti pars *לולב* censetur. *Menachot.* 111: 6. aliquando distinguitur. Vide *Succa.* 111: 4. & *Gem. Succa.* 31: 2. Gestationem hujus *לולב* & agitationem Rabbanitae juberi volunt *Lev.* 23: 40. Verum Karaei putant ea non manibus gestanda, sed ad constructionem Tabernaculorum esse adhibenda. Confer *Nehem.* 8: 16. Quovis die cum Lulaf semel altare circumibant, at extra Hierosolymas uno tantum die *לולב* gestabant (*Rosh hasschana* 1v: 3.) clamantes *הושענא*, (*Ὁσαννά* *Matth.* 21: 8. *Joh.* 12: 13.) at septimo die septies, in memoriam obsidionis Jerichuntinae in *Gem. Hier. Succa.* 54: 3. Unde dies *הושענא רבא* dicitur, & magnus dies *Joh.* 7: 37.

§. IX. Mali citrei & ramorum gestatio.

§. X. Tem-
pus horum
omnium.

X. Non eodem tempore haec omnia
usurpabantur : sed in *Succa cap. IV. & V.*
docemur ita se haec habuisse.

לולב, *fascem ramorum*, in usu fuisse
per septem dies : si scilicet dies
primus festi sit Sabbathum : nam,
quia est **יום טוב**, ideo pellit Sab-
bathum.

ערבה, *salicem* (non illam quae erat
in **לולב**, sed qua altare circum-
dabant, qui rami dicuntur alti
fuisse undecim cubitos, **ארוכות**
וגבוהות י"א אמה. *Gem. Succa. 45:*
ו.) septem dies in usu fuisse : si
dies septimus sit Sabbathum, pel-
lit Sabbathum; at si alius dies sit
Sabbathum non pellit, & 6 dies
tantum in usu est. Hinc legitur
in *Gem. Succa. 43: 2.* **לולב דוחה**
את השבת בתחילתו וערבה
בסופו *Fascem ramorum pellere*
Sabbathum in initio, sed salicem in
fine.

הלל ושמחה, *Hymnum & laetitiam*
dies octo.

סוכה וניסוך המים, *Habitationem*
in tentoriis & libamen aquae dies
septem. **החלול**

החלי, *tibiam* dies sex, si Sabbathum in diem primum festi incideret, dies 5, si non: nam tibia nec Sabbathum pellebat nec diem festum.

XI. Exacto primo die festi Tabernaculorum, ineunte novo septennio hepteteridos Sabbathicae (*מקץ שבע שנים* *a* *sine 7 annorum*, uti est *Deut. 31: 10.*) praelegebat Rex in Atrio mulierum sedens in suggesto ligneo, quod ad hunc usum parari solebat, pericopas quasdam Deuteronomii, quae recensentur in *Sota* VI. 8. sc. ab initio Deuteronomii usque ad *Deut. VI: 4.* dein transiliit ad *cap. XI. 13.* & inde *cap. XIV: 22.* tum ad *cap. XXVI: 22.* postea ad *c. XVII: 14.* quae est Parascha de Rege. Denique vota & diras quae habentur *Deut. 27. & 28.*

§. XI. Prae-
lectio Le-
gis singulo
septennio.

XII. Octavus dies, *עצרת* dictus, *Lev. 23: 36.* five *ἐξόδιον* in versione Graeca, *Lev. 23: 36.* & in Chronico Alexandrino: unde *Hieron. ad Zachar. I.* *Σκηνοπηγίας extrema dies egressionis appellatur & terminus.* Nam *Ἐξόδιον τέλος σημαίνει τῶν ἑορτῶν* uti *Theodoretus* scribit *Quaest. 32. in Leviticum.* Atque ita *Philo lib. de festis* p. 1196. scribit *ἐξόδιον* dici octavum diem festi

§. XII. Dies
octavus fe-
stus.

festi Tabernaculorum. Accenseri solet festo Tabernaculorum veluti dies ejus octavus, quare in *Gem. Eruvin. 40. 2. Midrasch Cohemoth. 118: 3.* legitur esse שמונה ימי ההג & 2 *Macc. 10: 5. & 1. 18.* octo dies celebrati dicuntur secundum consuetudinem festi Tabernaculorum.

§. XIII.
Estque festum singulare.

XIII. A quibusdam ut festum singulare consideratur, quia *Nehem. 8: 19.* distinguitur a festo Tabernaculorum, nec habitabant eo die in Tabernaculis & illo offerebantur juvencus, aries, & 7 agni in holocaustum, & hircus in Sacrum piaculare. Non autem Ephemeriae eo ordine victimas offerebant, quo in festo Tabernaculorum, sed ad fortes redibant, ut in reliquis רגלים, sive festis majoribus. *Succa. v: 6.* Et hoc ipsum a quibusdam רגל appellatur, בפני עצמו & quidem ab aliis diversum ob sex res, quae id distinguunt a festo Tabernaculorum & indicantur his litteris פ"ר קט"ב. *Gem. Rosch haschana. 4: 2. & Gem. Chagiga. 17: 1.* quae sunt initiales totidem vocum, uti id explicatur in *Gem. Succa. 47: 1.*

1. פ"ר קט"ב *fors.* Quod sc. operae sacerdotales forte distinguerentur.

2. רגל

2. זמן. *Tempus*. Quod singulari ברכה
 gratias Deo agant se vixisse usque
 ad tempus illud. Ita solent Deum
 laudare שהחיינו לזמן הזה *qui*
vitam nostram producit usque ad
tempus hoc. Gem. Beracoth. 14: 1.
 & 59. 2. atque ita in libellis תוֹב
 תהיינות frequentes sunt formu-
 lae ברוך &c. שהחיינו.... והגיעו
 לזמן הזה *Laudatus sis, o Deus,*
..... qui vitam nobis concessisti
..... ut perveniremus ad tem-
pus hoc.

3. רגל, *Festum est*, & hoc nomine
 dictum, ab aliis distinctum.

4. קרבן. *Sacrificia*, diversa sunt ab
 iis, quae 7 diebus Tabernaculo-
 rum offeruntur, quaeque Judaei
 oblata fuisse volunt non pro Israë-
 litis, sed gentibus, על שאר עמין,
 ubi est in libro *Zohar ad Leviti-*
um, pag. 198. & Echa Rabbati
fol. 66. col. 3. Ideo 70 juvenci
 fuere sacrificati secundum nume-
 rum 70 gentium, אותם שבעים
 פרים שהיו ישראל כקריבין
 בחג כנגד שעים אומות הן.
 Ita etiam legitur in *Midrasch*

schir hasschirim fol. 13. col. 2.

5. שיר. *Canticum Levitarum.*

6. ברכה. *Benedictio.* Formula precum, ברוך &c.

§. XIV.
Tibiae sonus per octo hos dies.

XIV. Non parum ad solennitatem hujus festi faciebat תליל tibia cani coram altari per octo dies hujus festi בשמוני ימי בשרה uti legitur in *Erachin. 11. 3.* Tibia autem non laetitiae modo sed & tristitiae tempore in usu erat, חלילין לכלה ולמת, Cantabat templis, cantabat tibia ludis, Cantabat moestis tibia funeribus.

vide *Bavamezia. vi. 1* Erant duodecim modo dies quotannis, quibus tibia coram altari inflabatur; praeter hos sc. octo, dies quo mactabatur Pascha primum, dies quo mactabatur secundum, dies primus festi Paschatis, & dies Pentecostes. Alias tria erant quotidiana instrumenta Musica, נבלים, cytharae & cymbalum, נבלים, כנורות וצלצל, quibus canebant Levitae, uti Sacerdotes clangebant tubis, sive שופרות & buccinis חצוצרות.

C A P. V I.

De Die Expiationis.

I. **D**ies decimus mensis Tisri, sive §. I. No-
 Dies Expiationis κατ' ἐξοχὴν יוֹמָא ^{men.}
 a Talmudicis appellatur, aut יוֹם סְלִיחָה,
 וּמַחִילָה *dies placationis.* Gem. Bava ba-
 thra 121. 1. ἡμέρας ἐξιλασμῶν Interpretibus
 Alexandrinis, alias & יוֹם הַכִּפּוּרִים *dies*
expiationum, quod non pro singulari
 quodam peccato sed pro peccatis totius
 anni expiatio fiat: quare & illo die Sata-
 nae nullam potestatem in gentem Judai-
 cam esse volunt, uti reliquis diebus 364
 totius anni, quem numerum per Gema-
 triam efficit vox השָׁטָן Gem. Foma, fol.
 20. fac. 1. Quo spectant ea quae legun-
 tur in *Midrasch schir hasschirim.* 9. 1. ad
 illustrationem verborum quae scripta sunt
 שְׁחֹרָה אֲנִי כָל יְמֵי הַשָּׁנָה. 5. 1. *Cant.*
 וְנֹאֵה אֲנִי בְיוֹם הַכִּיפּוּרִים *Nigra sum,*
scilicet omnibus diebus anni, at pulcra sum,
scilicet die Expiationis. Appellatur צוּמָא
 רַבָּא *jejunium magnum* in *Midrasch Ruth.*
 46. 4. & *Echa Rabbati.* 80. 1. Graecis
 Νησεία *Jejunium*, uti *Act.* 27. 9. & in
 Ff 5 scri-

scriptis Josephi & Philonis: atque ita *jejunium* nuncupatur a Tertulliano, *lib. adversus Judaeos*; duorum hircorum qui jejunio offerebantur. Erat יום טוב, atque ita appellatur in *Taanith. iv. 8.* at in *Gem. Pefachim. 50. 2.* videtur distingui ערב י"ט a ערב יום הכיפור. Cavebant autem ne hic dies incideret in אגו *Agu*, i. e. primum, tertium, & sextum diem hebdomadae.

§. II. Antecedentes dies novem quales.

II. Dies qui inter initium novi anni, id est, primum Tisri & diem hunc expiationis intercedunt, appellantur ימי תשובה *dies conversionis*, animorum scilicet ad Deum, ita ut dies Expiationis ultimus sit, atque ita decem ejusmodi dies numerentur. *Gem. Rosch hasschana. 18. 1.* & in *Gem. Hier. Rosch hasschana. 57. 1.* *Gem. Hier. Biccurim. 64. 4.* & hos indicari volunt per כעשרת *dies*, 1 *Sam. 25. 38.* post quos Nabal, non acta poenitentia, mortuus est. Dies autem duo praecedentes diem Expiationis ימים נוראים *dies terribiles*, appellantur: & jam tum cilicium, סרגנס, induunt.

§. III. Sanctitas.

III. Summa erat hujus diei sanctitas, & cum Jejunio, ac omissione operum ab unoquoque celebrari debuit. *Levii.*

vit. 23. 27. Ita quidem ut ipso die nono praecipiti in occasum jam inceperit jejunii & quietis observatio, duraveritque paulo ultra finem diei decimi: quo sensu dici volunt *Levit. 23. 32. nono die mensis vesperi, a vespera ad vesperam, Sabbathum vestrum in cessatione ab opere transigetis.* In Judaea certe non nisi aves & pisces edebant die nono, sed in Galilaea etiam carnem. Exacto autem die vesperam & noctem cum amicis hilarem agebant & Pontifex M. & alii: quo referenda reor verba Theodoretī, quae est. 22. in Leviticum, *ἀλλ' οἱ Ἰσραῖτοι κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν ἔσκυθροπάζουσιν, ἀλλὰ γελῶσι καὶ παίζουσιν, καὶ χορεύουσιν καὶ ἀκολάστοις ῥήμασι καὶ πράγμασι κέχρηνται, ἀντικρυς τῷ νόμῳ μαχόμενοι.* Ipso enim die decimo ante solis occasum haec a Judaeis non patrari certum est.

IV. Cur dies decimus mensis Tisria §. IV.
Deo destinatus sit solenni huic expiationi Tempus.
ni inter Judaeos non convenit. Quidam volunt Adamum a peccato suo resipuisse hoc die, alii Abrahamum eo circumcisum, alii denique Moſen tertia vice de monte Sinai descendisse post 40 dierum jejunium, ter repetitum *Deut. 9. 10. 18.*
&

& cap. 10: 10. & Deum cum populo suo reconciliatum nunciavisse. *Gem. Bava bathra. 121. 1.*

§. V. Praeparatio ante hunc diem.

V. Quibus ritibus celebrari soleret stante Templo II. solennis hic dies, copiose traditur in Codice *Foma*, unde primum illa quae hunc diem antecedeabant, & praeparationis locum tenebant, notabimus, & deinde illa quae ipso illo die erant peragenda. Septem diebus ante diem Expiationis secedebat Pontifex M. aedibus suis relictis in Conclave Parhedrin, & singulis his diebus, ut se cultui Sacro assuefaceret, sanguinem sacrificii jugis spargebat, adolebat suffitum, aptabat lychnos, & caput pedemque agni offerebat. Die tertio & septimo hujus septidui Pontifex vaccae rufae cinere adspergebatur. Seniores Synedrii legebant coram eo Sacrum Codicem & exponebant ritus diei Expiationis. Tradebant quoque eum Senioribus Sacerdotum, qui eum adjurabant, ne mores Sadducaeorum in adolendo suffitu imitaretur. Ipsa autem nocte diei decimi parce coenare debuit & a cibis Venerem irritantibus (Menander *βρώματα ὑποβινητιῶντα* diceret) abstinere, ne in somnum incideret, quem juniores Sa-

facerdotes ab eo arcebant, ne pollueretur.

VI. A media nocte ministerium hujus diei cepit exordium, in quo praecipuae fuere partes Pontificis M. qui quinquies corpus suum, manus ac pedes decies & sexies, ac toties mutare vestes debuit, quae, uti & ipso ordo Sacrorum peragendorum, ex hac tabella perspicue intelligentur.

§. VI. Ordo sacrorum ipso die expiationis.

1. Exiit Pontifex M. vestes communes, & corpus lavit.

2. Induit vestes aureas & lavit manus ac pedes.

3. Mactavit agnum sacrificii jugis, adlevit suffitum, aptavit lychnos, obtulit sacrificium juge, crustula & libamina: dein juvencum & 7 agnos diei festi, & lavit manus ac pedes.

4. Exiit vestes aureas & corpus lavit.

5. Induit vestes albas & lavit manus ac pedes.

6. Peregit cultum illi diei proprium, initium ducens a confessione pro se & familia, & impositione manuum in juvencum suum, sortitione de hirco utroque, reditu ad juvencum ac confessione pro fratribus suis sacerdotibus, & postea

postea ejus mactatione. Deinde in Sanctum Sanctorum ingressus prima vice adolevit suffitum, secunda sanguinem juveni sparsit, tertia hirci a se mactati sanguinem sparsit, & Sancto Sanctorum egressus dimisso hirci altero redit ad juvenicum & hircum, quorum sanguinem in aede sacra sparserat, & ablegmina tum juveni tum hirci cremandi exemit, & lavit *manus ac pedes*.

7. Vestes albas exuit, & *corpus* abluit.

8. Induit vestes aureas & lavit *manus ac pedes*.

9. Obtulit hircum piacularem, arietem pro se, & arietem pro populo in holocausta: tum ablegmina juveni & hirci comburendi obtulit, & juvenicum ipsum hircumque, pelle sua haud nudatos, aliis comburendos dabat extra urbem, ἐν τοῖς προαείοις ἐν τόπῳ καθαρῳτάτῳ ut Josephus loquitur *Antiq. III. 10.* Deinde Sacrificium jube vespertinum fecit, & lavit *manus ac pedes*.

10. Exuit vestes aureas & *corpus* lavit.

11. Induit vestes albas & lavit *manus ac pedes*.

12. Intravit in Sanctum Sanctorum, ut acerram & πυρεϊόν repeteret, & lavit *manus ac pedes.*
13. Vestes albas exuit & *corpus* lavit.
14. Vestes aureas induit & lavit *manus ac pedes.*
15. Adolevit suffitum vespertinum, lychnos accendit, & lavit *manus ac pedes.*
16. Exuit vestes aureas & communes induit.

VII. Quindecim erant victimae quas hoc die offerebant, duodecim holocausta & tria sacrificia piacularia. In his publica erant tredecim; privata, Pontificis scilicet, duo tantum, aries in holocaustum & juvencus in sacrificium piaculare פֶּר הַטֹּאת וְאֵיל לְעוֹלָה, quae tamen, privata licet, publicis erant similia quod Sabbathum & immunditiam pellerent. Sunt autem haec: duo agni Sacrificii jugis; juvencus, aries, & agni 7 in holocaustum, diei festi causa; recensiti Num. 29: 8. & 11. aries Pontificis in holocaustum, hirci duo piaculares, quorum alter vesperi comedebatur & sanguis ejus adsperebatur altari exteriori, alter comburebatur & sanguis ejus inferebatur Sancto.

§. VII. Sacrificia illius diei 15.

cto. Denique erat juvenicus piacularis Pontificis M. qui comburebatur; sic ut essent agni 9, arietes 2, hirci 2, & juvenici 2. Sunt qui duos arietes inter sacrificia publica hujus diei numerent, sic ut unus fuerit diei festi causa oblatus, alter ille, qui *Levit.* 16: 2. memoratur. Josephus etiam *Antiq.* III. 10. recensens sacrificia hujus diei numerat duos arietes publicos, & unum privatum Pontificis.

Ταῦρον.	1
Κριὸς δύο.	2
Ἄρνας ἑπτὰ.	7
Ἐριφον ὑπὲρ ἁμαρτάδων.	1
Ἐριφον ὃν καίχσι ἐν προασείοις.	1
Ταῦρον Ἀρχιερέως.	1
Κριὸν Ἀρχιερέως, ὀλοκαύτωμα.	1

adde sacrificia jugia, agnos duo: fient 16

Sed notandum est pro κριὸς δύο (quod in Graecis Josephi codicibus nunc legitur) legisse veterem interpretem Epiphanium κριὸν, quia reddit *arietem*, sic ut 15 victimae fuerint. Sed alii eundem fuisse putant arietem festi causa oblatum, & pro populo; cui si addatur aries Pontificis Maximi, sacrificium

cium privatum, duo tantum arietes hoc die oblati fuerunt..

VIII. Praecipua hujus diei solennitas consistebat in eo quod hoc die solo in Sanctum Sanctorum Pontifex Max. introiret. Tum quidem Pontifex M. summum gradum honoris adipiscebatur quum in Sancto Sanctorum esset. Philo *lib. de somniis pag. 1134.* non dubitat ei dignitatem inter Deum & reliquos homines mediam tribuere illo tempore, & μεθόριον τῆ θεῶ φύσιν, τῆ μὲν ἐλάττονα, ἀνθρώπων δὲ κρείττονα. Verum male id confirmat verbis sacri codicis, in quo scriptum sit, ὅταν εἰσὶν εἰς τὰ ἅγια τῶν αγίων ὁ ἀρχιερεὺς ἄνθρωπος ἐκ ἔσαι, quum ingrediatur P. M. in Sanctum Sanctorum, homo non erit. *Levit. 16: 17.* ita non legitur, sed, homo non erit in Tabernaculo quum P. M. ingrediatur in Sanctum Sanctorum. Intrabat autem Pont. M. in hunc locum illo die quatuor vicibus. *Primo* quidem post mactatum juvencum suum, & sanguinem ejus sacerdoti traditum ne concrederet, prunas ab altari exteriori desumtas, & vasi aureo *התהמה* impositas, una cum vasculo aureo *הכה* suffitus intulit in Sanctum Sanctorum, & deposito vase *התהמה*

§. VIII.
P. M. in-
troitus in S.
Sancto-
rum.

Gg

inter

inter vectes arcae, vel stante Templo II supra lapidem foundationis, suffitum super prunas congestum adolevit & exivit. *Secundo* intravit in Sanctum Sanctorum cum sanguine juveni sui, ut antequam pro populo intercederet se expiaret, & inter vectes arcae constitutus semel sursum supra operculum, septies deorsum, digito sanguinem sparsit, & vasculum in Sancto deposuit. *Tertio* cum sanguine hirci, unius ex duobus piacularibus, quorum alter, hic scilicet, forte עֲזֵר לְרִל Deo erat designatus, alter לְעִזְרָת , *secessioni*, ἀποπομπῆς, & in desertum emittendus. Locus, quo pellebatur, erat 90 stadiis ab urbe קִיֵּץ dictus in ὑπεροπία ἐρημίας. Ex Talmudicis, & Josepho id discimus. Postquam igitur juveni sui sanguinem in Sanctum Sanctorum intulisset, mactavit hircum & sanguinem illius eo quoque tulit & similes octo sparsiones peregit. Dein regressus in Sanctum juveni sanguinem accipiebat & contra velum octies eum sparsit: atque ita similiter sanguinem hirci. Postea sanguine hirci & juveni commixto cornua altaris interioris adspersit, initium ducens a cornu euroboreali (*Gem. Joma. 42. 4*) & partem ipsius superficiei
alta-

altaris in summo ad latus meridionale septies; reliquumque sanguinis effudit ad basin altaris exterioris, & manibus impositis hirco emissario, editaque confessione, illum emisit in desertum: quo eum pervenisse ex lingua coccinea in Templo portae Pronai affixa didicisse dicuntur quae tum solebat albescere, exceptis annis 40 ante Templi II. excidium, uti Judaei tradunt in *Gem. Foma. 39. 2.* id est, circa tempus passionis Christi. Confer de lingua coccinea *Schabbath. ix. 4. Foma. vi. 8.* Pars altera linguae coccineae inter hirci emissarii cornua erat ligata, quem Tertullianus *lib. III. c. 3. adv. Judaeos, hircum coccino circumdatum* nuncupat, & *maledictum convulsamque a toto populo*: vellicabant enim illi pilos, clamantes **לֵוּ נָסִי** vade & exi: confer quod Christo ad supplicium damnato & exeunti accidit. Deinde Pontifex Max in Atrio mulierum partem Legis divinae populo praelegit. Quarto in S. Sanctorum intravit ad repetendum thuribulum.

IX. Sunt qui putent quatuor hosce introitus Pontificis M. in Sanctum Sanctorum adversari verbis Mosis *Levit. 16: 34. Exod. 30: 10.* ubi **אַחַת בַּשָּׁנָה** *semel quotan-* §. IX. An quatuor hi introitus repugnent dicto Mosis & Pauli.

tannis, non quater, ingredi S. S. Pontifex jubetur, & *Hebr.* 9: 7. ubi semel tantum in anno ἀπαξ κατ' ἐνιαυτὸν legitur Pontifex ingressus fuisse, & non licuisse illi sine sanguine eo intrare. Pro iis quoque faciunt verba Regis Agrippae in epistola ad Cajum Imperatorem, quae leguntur apud Philonem *in legatione ad Cajum*, p. 1035. ubi semel tantum intrasse in adytum quotannis Pontificem maximum scribit, & si eodem die ter vel quater intrasset, mortem meruisse, καὶν αὐτὸς ὁ Ἀρχιερεὺς δυσὶν ἡμέραις τῆς ἔτης, ἢ καὶ αὐτῆς τρις ἢ τετράκις εἰσφοιτήσῃ θάνατον ἀπάραιτητον ὑπομένει. Addunt rationem typi & antitypi hoc postulare, quum semel tantum Christus in coelum adscenderit. Verum vix uno introitu omnia peragi potuere, quae *Levit.* 16. peragi in S. Sanctorum jubentur; & post sparsum in Sancto Sanctorum juvenci sanguinem legitur, & maetabit hircum & sanguinem ejus inferet in Sanctum S. & sparget uti sparsit sanguinem juvenci, videnturque distincti introitus commemorari *Lev.* 16: 12, 15. 18. nec similitudo inter typum & antitypum se ad omnia plane extendit; nec repugnat, si quis dicat semel in anno tantum ingressum in S. S. Pontificem

tificem, licet vel decies eo die ingressus fuisset. Nam & ipsi Judaei, qui quater Pontificem illo die intrasse volunt, ita loquuntur, נכנס בו פעם אחת בשנה *semel in anno Pontificem ingressum fuisse in Sanctum Sanctorum, in Gem. Hier. Foma. 43. 1. Gem. Pesachim. 86. 1. Ita & Josephus, & scriptor lib. III. Maccab. 1. 12. testantur ἀπαξ κατ' ἐνιαυτὸν in S. S. illum intro ivisse. Ita Israelitae se ter quottannis in Templo stitisse dicuntur, licet vel sexies uno die Templum intrassent. Sic semel baptizatus aliquis esse dicitur, licet ter immerfus sit, quod hi actus continuati pro uno habeantur. Quod autem ad verba Agrippae attinet, majorem fidem merentur Doctores Talmudici de ritibus patriis testantes quam Rex Agrippa, qui in eadem epistola de hoc ipso introitu Pontificis in adytum agens scribit, solum ad incendendos odores & preces fundendas illum eo intrasse μόνον ἐπιθυμιάσων καὶ κατὰ πάτρια εὐξόμενος φορὰν ἀγαθῶν, quum expiatio peccatorum & sparsio sanguinis juvenci & hirci primaria causa hujus introitus fuerit, & incensio odorum quasi praeparatio.*

X. Frequens est mentio in scriptis Tal- §. X. Spar-

tionum
sanguinis
in aede sa-
cra nume-
rus.

mudicis trium & quadraginta sparsionum sanguinis, quae intus sive in aede sacra fiunt die Expiationis. vide *Gem. Zevachim. 42. 1.* Sunt autem haec

Una sparsio sursum & septem deorsum inter vectes arcae ex sanguine juven-
ci, quae efficiunt 8

Tot ibidem ex sanguine hirci. 8

Tot contra velum. 16

Quatuor ad cornua altaris interioris ex sanguine hirci & juvenici com-
mixto. 4

Septem super ipsum altare. 7

43

§. XI. Et
modus.

XI. De modo spargendi ambigitur. Quidam putant sparsionem quae facta dicitur על הכפרת non pertigisse usque ad ipsum arcae operculum, nisi aliquando per accidens. vid. *Gem. Hier. Foma. 42. 4.* Videtur tamen probabilius sanguinem ipsum operculum arcae semper tetigisse, quod inde *ιλαστήριον* dictum est. Certe distinguitur una haec sparsio facienda על הכפרת, vel uti *Levit. 19: 15.* legitur על פני הכפרת, a reliquis septem quae לפני

לפני הכפרת, id est, *coram operculo faciendae erant.* Eadem quoque loquendi ratione dicitur *Levit. 16: 19.* de sparsione sanguinis super altare interius **הזרה עליו** *sparget super illud sanguinem*, qua *commate 16* dicitur **על הכפרת** *sparget eum super operculum.* At dubium non est quin sanguis ipsum altare tetigerit: adeoque quum idem sit loquendi modus nil vetat credere etiam ad operculum arcae sanguinem pertigisse. Praeterea sparsiones ad cornua altaris interioris fiebant superne deorsum versus, excepto isto cornu quod erat proximum Pontifici spargenti: ad quod sanguinem spargebat sursum versus, ne vestes suas sanguine inficeret. *Gem. Hier. Foma. 42. 4.*

C A P. VII.

De Festo novi anni, & Noviluniis.

I. **D**iem qui novo anno civili praebet initium, & primus est mensis **§. I. Festum Novi anni.**
ליל *diem clangoris* appellatum legimus *Num. 29: 1.* **זכרון תרועה** *memoriam clangoris* *Lev. 23: 24.* Judaeis vulgo **ראש השנה** *initium anni*, quo titulo

tulo Codex Misnicus extat. Ἱερομηνία & σαλπιγγων ἑορτή Philoni *lib. de festis pag. 1193*. Sunt autem duo dies hujus festi שני ימים טובים של ראש השנה uti liquet ex *Schabbath. xix. 5. & Gem. Pesachim. 47: 1.* etiam in terra Canaan celebrati: quos observandos esse secundum placita *Prophetarum priorum נביאים* scribitur in *Gem. Hier. Eruvin. 21: 3*. Sunt duo hi dies ejusdem sanctitatis, quum in noviluniis dies posterior non adeo sanctus sit ac prior. *Gem. Betza. 6. 1. Gem. Eruvin. 39: 2.*

§. II. Clangor buccinae & Sacrificia.

II. Clangebatur eo die in Templo a mane ad vesperam *buccina שופר*, sive *cornu arietino incurvo, קרן הכבשים*, quum in aliis noviluniis tantum uterentur *tubis* sive *הצוצרות* uti *Num. 10: 10*. praecipitur (licet enim id in Sacro Codice diserte non extet *שופר buccinam* fuisse adhibitam, colligunt tamen Judaei ex *Levit. 25: 9*. & antiqua traditione) vide *Rosh hasschana. 111: 2*. Quamobrem *Psal. 81: 4. buccinate in Novilunio בשופר* de solo novilunio Tisri, id est, festo novi anni, intelligendum docent in *Gem. Rosch hasschana. 8: 2*. Nunc autem Templo diruto nunquam buccina & tubis simul

simul utuntur: id tantum in Templo licuit *Pf. 98: 7.* atque initio novi anni sola buccina, in jejuniis solis tubis, utuntur. Buccina qua nunc utuntur, tum in Synagoga hujus urbis Trajectinae, tum alibi in Belgio, constat ex cornu arietis, quod planum est ab hoc & illo latere, & ab eo foramine, quod ori clangentis admovetur, recta protensum est fere ad spatium pollicum quindecim, & inde inflectitur, fere ad angulum rectum (uti Mathematici loquuntur) per spatium pollicum quinque usque ad foramen latius per quod sonus exit. Quod si dies novi anni in Sabbathum incideret, Hierosolymis clangebant non alibi. *Rosh hasschan. iv: 1.* Praeterea offerebantur Sacrificia quaedam singularia, quae recensuimus *Part. III. cap. I.*

III. Quam ob rem clangor buccinae hoc festo institutus sit disputant Judaei. Volant respici eo ad libertatem populi, quum in fine Jubilaeorum clangore buccinae libertas publicaretur, vel ad liberationem Isaaci & substitutionem arietis, *Gem. Rosh hasschana. 16. 1.* vel Legis lationem, vel Dei Regis imperium in eos, vel futuram liberationem per Messiam *Gem. Rosch hasschana. 11: 2.* vel futuram

§. III. Ratio clangoris.

resurrectionem. Alii buccina figuram Lunae falcatae indicari existimant. Confer Philonem *de festis pag. 1193.*

§. IV. De
Noviluniis.

IV. Novilunia quomodo a calculo Astronomico & phasi dependerint supra *cap. 1.* diximus. Celebratur Hierosolymis unus modo dies hujus festi, at in locis remotis duo ob incertam mensis consecrationem; non enim per nuncios resciscere poterant sat mature, quo die Hierosolymis novilunium esset indictum: sed in iis locis, ad quae tempestive nuncii appellere poterant, unus modo dies celebrabatur. quem morem hodieque servant, licet solum calculum astronomicum sequantur, ultimum diem unius & primum alterius festum habentes: qui secundus dies יום שני של גליות dicitur, in *Gem. Pesachim. 52. Gem. Betza. 4. 2.* Sunt qui olim quoque biduum celebratum putent ob *1 Sam. 20:27.* Hanc consecrationem olim per ignes accensos significare consueverunt: sed postea, fraude Samaritanorum detecta, per nuncios. *Rosch hasschana. 11: 2, 4. Gem. Betza. 4:2.* Canebant Sacerdotes tubis הצוצרות in festo novilunii *Num. 10: 10.* & offerebantur sacrificia superius *cap. 1.* recensita, undecim sc. victimae, quod annus Lunaris minor

nor esset per spatium undecim diernm au-
no solari. In *Gem. Chullin. 60. 2.* fingitur
Deus dixisse *offerte sacrificium, quod mi-
norem fecerim Lunam Sole,* אמר הקב"ה
& הביאו קרבן שמיעטתי את הירח
mox: *hircus hic* (in Noviluniis offerendus,
expiat peccatum hominis mundi, qui come-
dit cibum immundum, uti est in *Sche-
vuoth. 1. 4.*) sit in memoriam hujus rei,
quod Lunam fecerim minorem Sole, שעיר
זה יהא זכרון על שמיעטתי את
הירח וכו'

C A P. VIII.

*De Sabbatho, annis Sabbathicis,
& Jubilaeis.*

I. **S**abbathi nomen in Sacro Codice §. I. No-
nonnunquam latius, nonnunquam men שבת
minus late, sumitur; & praeter diem septi-
mum hebdomadis, aliis diebus festis tri-
buitur, *Lev. 25: 4. & 23. 32.* & integris
hebdomadibus *Luc. 18: 12.* illud vero & *Le-
vit. 23: 16.* hebdomadem notare quidam
existimant. Certe totam hebdomadem
שבת Judaei nuncupant in *Cetuvoth. 1.1.* pe-
rinde

rinde ac שבוּעַ atque ita ἑβδομας pro Sabbatho accipitur 2 Macc. 6: 11. Hic vero per Sabbathum diem septimum hebdomadis intelligimus quieti & cultui Divino singulari ratione consecratum, qui יום השבת & ἡμέρα τῆς Σαββάτης opposite ad ששה ימי המעשה sex dies operum, & ἡ τῶν Σαββάτων ἑορτὴ Plutarcho lib. 1v. Συμπος. ἡμέρα τῶν σαββάτων, 1 Macc. 2. 32. 41. & 9. 34. dicitur.

§. II. Nomen שבתון quod tribus diversis modis voci שבת conjunctum legitur שבתון קדש Exod. 16: 23. שבת שבתון קדש Exod. 31: 15. & קדש שבת שבתון Exod. 35: 2. Quae perperam Origenes in homil. 1. ad Canticum Canticorum dicta esse credidit uti Sancta Sanctorum, Canticum Canticorum, ac si Σάββατα Σαββάτων uti ἁγία ἁγίων diceretur. Ita tamen & Hilarius, in prologo ad Psalmos, Theodoretus, quaest. 22. in Leviticum, & Philo ipse de festis. pag. 1194. reddens Σάββατον σαββάτων per ἑβδομάδες ἑβδομάδων. Quia scilicet Interpretes Graeci Lev. 23: 32. שבת שבתון reddiderant per Σάββατα σαββάτων. Nec tamen de solo Sabbatho haec vox שבתון usurpatur, sed & de die Expiationis, Lev. 16:

II. Appellatur idem ille dies שבתון, quod tribus diversis modis voci שבת conjunctum legitur שבתון קדש Exod. 16: 23. שבת שבתון קדש Exod. 31: 15. & קדש שבת שבתון Exod. 35: 2. Quae perperam Origenes in homil. 1. ad Canticum Canticorum dicta esse credidit uti Sancta Sanctorum, Canticum Canticorum, ac si Σάββατα Σαββάτων uti ἁγία ἁγίων diceretur. Ita tamen & Hilarius, in prologo ad Psalmos, Theodoretus, quaest. 22. in Leviticum, & Philo ipse de festis. pag. 1194. reddens Σάββατον σαββάτων per ἑβδομάδες ἑβδομάδων. Quia scilicet Interpretes Graeci Lev. 23: 32. שבת שבתון reddiderant per Σάββατα σαββάτων. Nec tamen de solo Sabbatho haec vox שבתון usurpatur, sed & de die Expiationis, Lev.

16: 31. primo & octavo festi Tabernaculorum, *Lev.* 23: 24. & anno Sabbathico. *Lev.* 25: 4. Adeoque nullis aliis festis datur nisi quae in mensem Tisri incidunt, qui mensis in anno Sacro septimus ac quasi Sabbathicus erat, & quieti destinatus, peracta messe & collectione fructuum istius anni. Quare & Philo *lib. de festis. p.* 1183. huic mensi tributum festorum maximum scribit. Nec ullus erat mensis anni in quo tot dies festi agebantur, quos Chronicon, vulgo Alexandrinum dictum, ita recenset pag. 196.

die 1. Ἑορτὴ σαλπύγων.

8. Ἐγκαίνια τῆς ναῦ.

10. Ἡμέρα ἐξιλασμῶ.

15. Σκηνοπηγιῶν.

23. Ἐξόδιον, id est, **מוצאן** vel **תצא**, dies octavus festi tabernaculorum. Alii perperam hoc de exitu ex Aegypto acceperunt.

Adde diem 23. **שמחת תורה**, *Gaudium Legis*, quo ultimam sectionem Pentateuchi publice legunt.

III. In N. T. hic dies nomine **Σαββάτων** saepe innuitur, uti *Matth.* 12: 1. *Marc.* 1: 21. Τοῖς Σάββασις, atque ita ὁψὲς Σαββάτων, idem est quod ὁψὲς Σαββάτου. §. III.
Σάββατα
in N. T.

Si-

Similiter quia שבת aliquando totam hebdomadam notat, inde in Nov. Test. μία Σαββάτων idem est quod μία Σαββάτης אבתא קד primus dies hebdomadis, in *Gem. Schabbath. 156. 1.* & אבתא קד. *Gem. Maccoth. 5. 1. Gem. Nedarim. 12. 1.* & sunt qui putent μία Σαββάτων olim dictum fuisse ex Hebraeo שבתון, quod deinde in terminationem Graecam pluralem abiit, Σαββάτων, uti χείμαρρον τῶν Κεδρῶν formarunt ex קדרון נהל 1 *Reg. 15. 13. Job. 18. 1.* Alii vero suspicantur plurale Σάββατα formatum esse ex eo, quod sono conveniret cum אבתא vel אבב, uti & Horatio, *lib. 11. Sat. 9.* unicus dies *tricesima Sabbatha* dicitur, & Josephus *Antiq. 11. 10.* ἐβδόμην ἡμέραν scribit, ἣτις σάββατα καλεῖται, & *lib. 11. 8.* τὴν ἐβδόμην ἡμέραν Σάββατα καλεῖμεν. Ita quoque Philo *de confusione linguarum*, ἐβδόμην οἱ Ἑβραῖοι σάββατα καλεῖσιν.

§. IV.
Quid Sabbathum
δευτερο-
πρῶτον.

IV. Quid in N. T. intelligi debeat per Σάββατον δευτεροπρῶτον *Luc. 6: 1.* non minus exercuit ingenia Interpretum. Priscis doctoribus Christianis aqua hic haesit, uti liquet ex diversis sententiis, in quas abeunt, & lepido responso Gregorii Nazian-

zian-

zianzeni, quod ab illo accepit Hieronymus, & narrat *Epistola 24. ad Nepotianum.* Rogatus, inquit, a me ut exponeret quid sibi vellent in Luca Sabbathum δευτεροπρωτον id est, secundo primum, eleganter lusit; docebo, te, inquiens, super hac re in ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante cogaris invitus scire quod nescis, aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiae condemnaberis. Nihil tam facile quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguae volubilitate decipere, quae quicquid non intellegit plus miratur. Sunt qui putent duo fuisse Sabbatha in quolibet anno πρωτα dicta, respectu duplicis initii anni Sacri & Civilis, sic ut primum Sabbathum in Tisri appelletur שבת ראשון הראשון Σάββατον πρωτοπρωτον, primum in Nisan שבת ראשון השני Σάββατον δευτεροπρωτον. Judaeos certe olim peculiarem primi Sabbathi in anno rationem habuisse constat quoque ex Clemente Alexandrino *Strom. l. vi. εαν μη Σελήνη φανῆ Σάββατον εκ αἴγισι τὸ λεγόμενον πρωτον, nisi Luna apparuerit, Sabbathum non celebrant quod Primum dicitur.* Plurimis recentiorum sententia illa probatur, quae Sabbathum primum a collectione manipuli die secundo festi Paschatis ita dictum

ctum esse vult quasi πρῶτον μετὰ τῆς δευτέρας τῆς Πάσχα, quia dies omnes, tam Sabbatha quam alios numerant & appellant primos, secundos, &c. רִכּוּל, id est, ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων, uti Josephus diem 16 Nisan nuncupat, quo manipulus offerebatur. Sane videtur illud Sabbathum posterius fuisse die 16 mensis Nisan. Si enim Sabbathum hoc ante diem 16 Nisan, id est, diem manipuli fuisset, non modo dixissent, *discipuli tui faciunt quod non licet ἐν τοῖς σάββασι*, sed, *faciunt quod omnino non licet*, sive Sabbatho sive alio die, quoniam nondum est oblatus manipulus, qui die 16 Nisan offerri solebat: ante quod tempus metere, aut evellere spicas, illicitum esse Judaei credebant. Nam spicas vellere est species messis. Ita Philo lib. de vita Mosis pag. 657. scribit Sabbatho ne folium quidem aut fructum decerpere ab arbore fas esse, εἰ γὰρ ἔρνος εἰ κλάδον, ἀλλ' εἰδὲ πέταλον ἐφεῖται τεμεῖν ἢ καρπὸν ὄντινα εἴν δρέψασθαι.

§. V. Observatio Sabbathi in quibus sita.

V. Ad legitimam Sabbathi observationem requiri quietem, & sanctificationem ejus diei, sic ut publice Deus singulari ratione colatur eo die per preces, lectio-

lectionem Sacri Codicis, atque alia exercitia pia, & ab omni opere cessandum esse, nec iter peragendum, colligitur ex *Exod.* 16: 29. & 23. 12. & 31. 14. Quum vero Judaei multa subtiliter de his rebus disputare soleant, nos pauca tantum ex iis delibabimus, acturi de observatione quietis & iis operibus, quae Judaei prohibita esse hoc die censent, de celebratione hujus diei cum laetitia, & itinere Sabbathico.

VI. Olim quidem hanc quietem adeo sollicite observabant, ut a defensione sui & rerum suarum abstinerent: quare saepius ab hostibus eo die capti sunt; maxime quum Antiochi Epiphanis tyrannide premerentur. Postea vero Mattathias defensionem corporis sui contra hostes ipso Sabbatho licitam esse pronuntiavit. *Joseph. lib. xii. 8.* Nec tamen fas esse putant hostem ipsum Sabbatho aggredi, aut munimenta ab eo structa demoliri: quae res non mediocre momentum attulit ad expugnationem Urbis, ab Imperatore Tito obsessae. Et inventi fuere homines adeo superstitiosi qui salutem & vitam suam in discrimen vocaverint ob eandem causam: qualis ille gubernator, *Synecio Epist. 4.* memoratus, qui oborta vehementi tem-

§. VI.
Quies quo-
usque olim
jussa crede-
retur.

Hh

pe-

pestate circa initium Sabbathi μεθῆκεν ἐκ τῶν χειρῶν τὸ πηδάλιον *clavum e manibus dimisit*, nec arripere voluit, etiamsi necem ei stricto gladio minarentur.

§. VII. VII. Opus omne servile מלאכה עבודה
 Opera prohibita. Deus prohibuerat. Judaei autem in *Schabbath* VII. 2. opera praecipua, Sabbatho prohibita, in certum ordinem redegerunt, quae מלאכות אבות *Patres operum* vocant, ἀρχηγικάτα αἴτια Philoni dicta, *lib. III. de vita Moſis, pag. 686.* Ex his nascuntur, vel cum his aliquo modo cognationem habent תולדות sive *proles*. Uti v. g. aedificare est *Pater operis*, caesum conficere, *proles*, quia species quaedam est exstructionis. Opera praecipua, quae *Patres operum* nuncupant, recensent 39 hoc ordine. 1. Serere. 2. Arare. 3. Metere. 4. Colligere in manipulos. 5. Triturare. 6. Ventilare. 7. Purificare. 8. Molere. 9. Cribrare. 10. Pinsere. 11. Coquere. 12. Tondere lanam. 13. Dealbare eam. 14. Eam excutere. 15. Eam tingere. 16. Nere. 17. Stamen subtegere. 18. Inducere in spatium filorum. 19. Texere fila duo. 20. Rumpere fila duo. 21. Ligare. 22. Solvere. 23. Suere futuras duas. 24. Dissecare ut consuas. 25. Venari

bestia in foveam aquae inciderit, pulvini adducendi sunt & substernuntur ei, ut possit adscendere: aut si pabulo solo ibi conservari in vita possit, pabulum ei illic datur. *Gem. Schabbath*, 128. 1. confer *Luc.* 14: 5.

§. IX. Rit-
tus antece-
dentes
Sabba-
thum.

